





LE BON TEMPS VIENDRA



Thomæ Smithi
Angli
DE REPVBLICA ANGLORVM
Libri tres.

QVIBVS ACCESSERVNT Chorographica illius descriptio, aliique politici tractatus.



LVG. BATAVORVM
Ex officina Elzeviriana.
clɔ Iɔc xxx.

CVM PRIVILEGIO.

1·8

Nobilissimo, Amplissimo, Clarissimoque Viro,

D. THOMÆ GLEMHAMO,
Equiti aurato fortissimo,
Affini suo plurimum
honorando:

Hunc commentariolum de Regno Angliæ, in debitæ observantiæ & sinceræ amicitiæ testimonium

Dedicat

IOANNES de LAET,
Antvverpianus.

SVMMA PRIVILEGII.

ILlustrium & Præpotentium D. D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum est Bonaventuræ *&* Abrahamo Elzeviriis, *Academiæ Leydensis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, aut alibi extra provincias excusum inferat vendatve librum hunc, cui titulus,* Thomæ Smithi Angli DE REPVBLICA ANGLORVM, &c. *Quod si quis contempta auctoritate, directe vel indirecte, librum hunc, totum, vel partem ejus, hoc sive alio modo, extra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impressum alibi in has oras inferre & vendere præsumpserit; confiscatione exemplarium, mulctaque insuper sexcentorum florenorum damnas esto; uti latius patet in ipso privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium,* XV *Maji*, MDCXXVI.

G. V. HERTEVELT V^t^.

Ad mandatum Præpotentium D. D. Ordinum General. ss.

I. van GOCH.



INDICVLVS SVMMORUM capitum quæ hoc libello continentur.

Thomæ Smithi de Republica & administratione Anglorum libri tres: quibus hæc capita continentur:

X. *De*

X. Se-

I. An-



I.

ANGLIÆ CHOROGRAPHIca descriptio compendiosa, è Camdeno, Speedo, & aliis.

Britannia, insula totius orbis celeberrima, interfuso oceano ab Europæ continente discreta, Germaniæ & Galliæ figura triquetra objacet: tribus in diversa procurrentibus promontoriis; Belerio, quod solem occidentem; (vulgo *the Lysard point;*) Cantio, quod orientem; Tarvisio sive Orcade, quod septentriones prospectat. Ab occasu, qua parte Hibernia sita est, Vergivius oceanus irrumpit. A septentrione vastissimo Hyperboreo mari pulsatur. Ab Ortu, qua Germaniæ prætenditur, Germanico; à meridie, qua Galliæ opponitur, Britannico urgetur.

Dimensionem varie antiqui prodiderunt; nostra autem ætas ex multis multorum itineribus certam quodammodo totius insulæ jam tandem depre-

hendit dimensionem. A Tarvisio enim circumactis curvatisque littoribus per occasum ad Belerium plus minus D CCC XII mill. pass. numerantur: inde conversa in austrum littoris fronte ad Cantium CCC XX mill. passuum: hinc secundum Germanicum mare angulosis recessibus per D CC IV mill. pass. ad Tarvisium protenditur. Ut hac ratione totius Insulæ ambitus M D CCC XXXVI mill. pass. colligat. Quæ mensura, ut Plinii multo, sic etiam Cæsaris aliquanto, minor. Hactenus *Camdenus*.

Ioh. Speedus longitudinem insulæ secundum altitudinem poli ita colligit. Belerium promontorium, quod maxime australe totius insulæ, situm est ad altitudinem quinquaginta graduum VI scrupulorum. Tarvisium, quod Scotiæ maxime septentrionale, ad LX grad. & XXX scrupulorum. Unde in longitudine colliguntur IↃ C XXIV milliaria.

Hujus Britanniæ potissima pars est Anglia, de qua nunc agimus. Ea à Scotia inter æstuarium occidentale (vulgo *Solvvay-Frith*) & Bervvicum, per Cheviotas colles & fluvium Tuedam dividitur. Latitudo illius maxima inter occidentale Cornubiæ promontorium, & Tanetham insulam, quæ Cantio ad orientem objacet; quippe quæ CCC XL mil-

milliar. pateat. Sed hæc in genere dicta sunto, nunc de singulis provinciis dicemus.

Catalogus Provinciarum, Civitatum, Episcopatuum, Municipiorum, quæ Mercatus privilegio gaudent; & Parochialium Ecclesiarum Regni Angliæ.

Prov.	*Civit.*	*Episc.*	*Munic.*	*Par.*
Cantium.	2	2	17	398
Sussexia.	1	1	18	312
Surreya.	0	0	6	140
Middelsex.	2	2	3	73
Hamton.	1	1	18	248
Dorsett.	0	0	18	248
VVilton.	1	1	21	304
Somerset.	3	2	29	385
Devonia.	1	1	40	394
Cornubia.	0	0	23	161
Essexia.	1	0	21	415
Hartford.	0	0	18	120
Oxonium.	1	1	10	208
Buckingam.	0	0	11	185
Berkeria.	0	0	11	140
Glocestr.	1	1	20	280
Suffolcia.	0	0	28	464
Norfolc.	1	1	26	625
Rutland.	0	0	2	47
Northamton.	1	1	11	326

Prov.	Civit.	Episc.	Munic.	Par.
Huntingdon.	0	0	5	78
Bedford.	0	0	10	116
Cantabrig.	0	1	6	165
VVarvvic.	1	1	12	158
Liceſtr.	0	0	11	200
Stafford.	1	0	12	130
VVorceſtr.	1	1	7	152
Salopia.	0	0	13	170
Hereford.	1	1	8	176
Lincoln.	1	1	26	630
Nottingam.	0	0	11	168
Derbia.	0	0	8	106
Ceſtria.	1	1	9	68
Eboracum.	1	1	46	563
Lancaſtr.	0	0	8	36
Dunelm.	1	1	5	62
VVeſtmorland.	0	0	4	26
Cumberland.	1	1	8	58
Northumb.	0	0	11	40
Monmouth.	0	0	6	142
Glamorgan.	0	1	7	151
Radnor.	0	0	4	43
Brecnock.	0	0	3	70
Cardigan.	0	0	4	77
Carmard.	0	0	6	81
Penbroc.	0	1	6	142
Mongommer.	0	0	6	42
Merionith.	0	0	3	34
Denbig.	0	0	3	53
Flint.	0	1	3	24

Angle-

Prov.	*Civit.*	*Epiſc.*	*Munic.*	*Par.*
Angleſey.	0	0	3	83
Caernarvon.	0	1	5	73
52.	25	26	641	9725

Alius, ſecundum jurisdictionem Eccleſiaſticam.

Paroch.

Sub Cantuarienſi Archiepiſcopo & Roffenſi Epiſcopo eſt *Cantium.* 257 98

Sub Londinenſi Epiſcop. *Eſſexia, Middelſexia,* & *Hertfrd.* pars. 623

Sub Lincolnienſi, provincia *Lincoln., Liceſtr., Huntingdon, Bedfordia, Buckingamia,* & *Hertford.* pars. 1255

Sub Ciceſtrenſi, *Hertfordiæ* pars & *Suſſexia.* 250

Sub VVintonienſi, *Southhamton., Surreya, Vecta, Gerneſay, Angleſey,* inſulæ. 362

Sub Sariſburienſi, *Wilton.* & *Bercheria.* 248

Sub Exonienſi, *Devonia* & *Cornub.* 604

Sub Bathonienſi & VVellenſi, provincia *Somerſettenſis.* 388

Sub Gloceſtr[illegible]ſi, *Gloceſtrenſ.* prov. 267

Parœch.

Sub VVigornienſi, *Wigorn.* & *Warvvici* pars. 241

Sub Lichfeldenſi & Coventrenſi, *Warvvic.* pars, *Stafford, Derby,* & *Salopiæ* pars. 557

Sub Herefordenſi, *Salopiæ* pars, *Herfordia*que. 313

Sub Elienſi, *Cantabrig.* & *Ely.* 141

Sub Norvvicenſi, *Norfolcia* & *Suffolcia.* 1121

Sub Oxonienſi, *Oxon.* prov. 195

Sub Petroburgenſi, *Northamton.* & *Rutlandia.* 293

Sub Briſtolienſi, *Dorſettia* & *Glamorgan.* 236

Sub Landavenſi, *Monumethia, Brechinia* & *Radnoria.* 177

Sub Menevenſi, *Penbrocia* & *Caermarden.* 308

Sub Banchorenſi, *Caernarum, Mona* inſ., *Meriomia, Denbia.* 107

Sub Aſaphenſi, *Denbig* pars, & *Flintia.* 121

Sub Eboracenſi Archiepiſc., *Eboracenſis* & *Nottingamienſis* provinc. 581

Sub Ceſtrienſi, *Ceſtria, Richmondia, Cumbr.* pars, *Lancaſtr.*, *Flintiæ* pars. 256

Sub

	Paroch.
Sub Carliolensi, *Cumb.* pars, & *Westmorlandia.*	93
Sub Dunelmensi, *Dunelmum* & *Northumbria.*	135
Sub Sodorensi, Mona insul.	17
Episcopatus 27.	*Paroch.* 9285.

Camden. Numerantur parochiales Ecclesiæ sub Episcopis 9284. è quibus 3845 sunt appropriatæ, id est, certis quibusdam monasteriis, collegiis, aut hospitalibus unitæ, & postea subversis monasteriis feuda facta laicalia.

CANTIVM.

CAntium nobilissima provincia ad septentrionem (inquit *Speedus*) Tamisi, ad ortum Germanico oceano alluitur; ad meridiem Sussexia & Suthreia terminatur. Longitudo illius à *Langley* in occidente, ad *Ramsgate* in Taneto insula orientem versus, plus minus 53 Angl. milliaria. Latitudo autem à Rothero flu. in tractu meridionali ad insulam Grænam, Boream versus, non multum supra XXVI. Totius denique ambitus quasi CLX colligit.

Plures in Cantio fluvii sustinendis navigiis idonei. quorum *Medvveagus*, qui mediam intersecat provinciam,

principem locum tenet: præter decem alios, qui in viginti oftia portuſque excipiendis navibus idoneos exeunt: ex quibus quatuor, *Dubris*, *Sandvvicus*, *Rumneia* & *Winchelſeya*, inter quinque portus numerantur. Guilielmus Victor (inquit *Camden.*) ut Cantium, quæ tanquam Angliæ clavis habetur, ſibi firmius retineret, Conneſtabilem Caſtro Doverenſi, eundemque Limenarcham v portubus ex veteri Romanorum inſtituto præfecit, & quinque portuum cuſtodem (*Lord Warden of the fiue Ports*) nominavit. Hi ſunt *Haſtings*, *Douer*, *Hyth*, *Rumney* & *Sandvvich*; quibus *Winckelſey* & *Rie* ut præcipua, & alia oppidula ut membra, adjunguntur. Quæ quia bello maritimo operam navare tenentur, immunitatibus gaudent multis & magnis; utique à ſubſidiorum penſitationibus & lege pupillari quoad corpus ſunt immunes, nec alibi quam in ſuis oppidis in jus vocantur: & ex incolis qui Baronum nomine gaudent, in Regum & Reginarum Angliæ inaugurationibus Conopea ſuper eos ſuſtentant, & à dextra Regis ſuam eo die habent menſam inſtructam, &c.

Dividitur hæc provincia in quinque Lathas (vocis etymon prodit Guilielm.

lielm. Lambard. à *ghelatian*, id eſt, convenire:) ſubdividiturque in LXVI Hundreda ſive centurias: atque hæ denuo in CCC XCVIII parœcias.

Comitatus iſte (inquit *Speedus*) duabus urbibus ſedibuſque Epiſcopalibus ditatus; viginti ſeptem caſtellis munitus; octo vere regalibus ædibus ornatus: XXIV oppidis mercatoriis celebratus conſpicitur.

Primaria civitas, quæ & metropolis & Archiepiſcopi ſedes, Cantuaria, olim Caer-Kent, & Dorobernia dicta; pervetuſta civitas, muro in ambitu ſepta, fluviis irrigua, ſolique vicini ubertate & maris propinquitate inclyta: privatorum ædificiorum ſplendore omnes Britanniæ civitates adæquans, ſacrarum vero ædium ſtructura & frequentia celeberrimas quaſque ſuperans.

Secunda Roffa (vulgo *Rocheſter*) in convalle ſedet; muris male firmis ex parte cincta, & anguſtior, ita ut potius caſtellum referat; ſed ad occidentem, orientem & meridiem, magnis tumet ſuburbiis. Iuxta templum flumini imminet Caſtrum ſitu atque opere ſatis munitum. Pontem habet ſaxeum elegantis operis; ſub quo Medvveagus violentus eluctatur; ſtatimque ſedatior, navale præbet claſſi regiæ.

Inter reliqua oppida primum occurrit Sandvvicum : ad ſeptentriones & occaſum mœnibus, alias aggere, flumine, & foſſa munitum. olim Danorum furores, ſuperiori ætate Gallorum ignes ſenſit. nunc incolis ſatis frequens, atque advenis è Belgio : licet portus ex aggeſtis arenis & magna nave oneraria Pauli IV. P. in ipſo alveo depreſſa, non ſit majoribus navibus opportunus.

Secundo Dubris (vulgo *Dover*) oppidum, portus olim opportunitate (quæ hodie fere nulla) nunc trajectu in Galliam quam ſua vel elegantia vel frequentia celebrius : qua oceanum jam excluſum ſpectat, mœnibus præcinctum fuit, quorum pars aliqua ſupereſt.

Tertio Hithe, unus è portubus olim, licet nunc illud nomen vix tueatur ob arenas accumulatas quibus mare longius excluditur.

Quarto Rumney, è numero quinque portuum, & præcipuum oppidum paluſtris regiunculæ quam vocant *Rumney Marſch*. Sedet editiori tumulo è glarea & ſabulo, portumque ad occaſum habuit ſatis capacem & ad pleroſque ventos commodum, priuſquam mare ſe ſubduxiſſet: quinque habet Eccleſias

clesias parochiales: Sed portu jam olim arenis obstructo pristinæ frequentiæ & dignitatis multum amisit. Hactenus oppida quæ ad mare jacent, nunc mediterranea persequamur.

Quinto Gravesenda, notissimum oppidulum, utpote statio inter Cantii promontorium & Londinum; ubi utramque ripam propugnaculis communivit Henric. VIII, quæ hodieque extant.

Sexto Cliff, oppidum satis amplum in regiuncula Ho, tanquam chersonessus inter Tamisim & Medvveagum sita.

Septimo Tunbrige, oppidulum non inelegans, cum castro adjuncto.

Octavo Maidston, oppidum frequens & cultum, magnaque longitudine extentum. plurimi hic advenæ è Belgio incolunt: Majorem beneficio Reginæ Elisabethæ habet, cum antea summus magistratus Portgreve diceretur.

Nono Ailesford, locus Horsæ & Cattigerni interitu nobilis; hujus etiam tumulus barbaro opere juxta cernitur.

Decimo Sittingburne, diversoriis refertum, medio inter Cantuariam & Rossam itinere.

Vndecimo Feversham, situ percommodo;

modo; uberrima enim hujus regionis pars circumjacet, & ſinum ad res invehendas & evehendas habet opportunum. unde inter vicina oppida hodie inprimis floret.

Duodecimo Ashford, emporiolum ad Stouram fluvium ſitum, qui tamen id nomen non ſortitur niſi poſtquam hoc oppidulum præterierit, ubi è duobus fluviolis coaleſcit.

Decimotertio VVya, alterum emporiolum ſatis frequens.

Decimoquarto Chilham oppidum, quod alii vocant Iulham, à Iulio Cæſare, quem hic caſtra metatum volunt.

Decimoquinto Nevvendene oppidum, ad amnem, qui Cantium & Suſſexiam dividit: olim Caer-Andred dictum indicat Camdenus.

Decimo ſexto Apuldore, ad oſtium Rotheri amnis, juxta inſulam *Oxney*, quam gramine luxuriantem hic amnis complectitur.

Iuxta (inquit *Camden.*) in ſylveſtri regione ſunt Cranbroke, Tenterden & Benenden, & alia vicina oppida, in quibus lanificii ſive rei pannariæ laus inprimis floruit inde ab Eduardi III temporibus, qui propoſitis præmiis & plurimis conceſſis immunitatibus Belgas in Angliam anno regni ſui decimo evo-

cavit,

cavit, uti nostros artem illam panni lanei contexendi edocerent, quæ hodie inter Reipub. nostræ columina merito numeratur.

Castella in hac provincia plura sunt. Inter quæ eminent; Primo Dubrense, longe amplissimum, & opere munitissimum & situ; quippe ad oram maris in rupe alta & omni fere ex parte confragosa situm: olim clavis & repagulum Angliæ creditum. Secundo Reginæ Burgus, vulgo *Queenborrough*, castellum elegantissimum & munitissimum, ab Eduardo III constructum. Tertio inter Sandvvicum & Dubrim ad planum illud littus & opportunum sinum, tria castella ab Henr. VIII posita, *Sandovvne, Dele*, & *Walmere*.

In eadem & Regale palatium situm est, quod vulgo *Greenvvich* appellatur; has ædes primum construxit Humfredus Dux Glocestrensis; Henricus vero VII magnifice adauxit; uti jam inter regias ædes fere primas ferat. Hic in lucem edita fuit Elisabetha, quæ Britanniæ, imo universo terrarum orbi lucem regiæ virtutis splendore affudit. Huic à tergo adjacet *Eltam*, secessus item regius, vix trium milliarium intervallo. Nec admodum longe hinc *Otford*, regia item domus, à VVarhaeno Archi-

Archiepiſcopo tanta magnificentia extructa, ut ad amoliendam invidiam ſucceſſor illius illam cum Henr. VIII commutarit. Sunt & alii regii hic ſeceſſus, quos prætereo.

SVSSEXIA.

SVſſexia regio item maritima, & juxta Britannicum fretum in longitudinem extenſa. A ſeptentrione Surreyam & Cantium proſpectat; ab occidente Southamtoniam. Longior eſt, ſed anguſtior; in longitudine LXIIII mill. paſſ. continet; qua vero latiſſime, patet paulo ſupra viginti: totius autem ambitus CL plus minus numerat. Dividitur hęc regio in ſex præcipue partes, quas peculiari vocabulo vocant *rapos*; quorum unuſquiſque ſuum habet flumen, caſtrum & ſaſtum, præter centurias ſuas quibus ſeorſim ſinguli diſtinguuntur: videlicet Rapus Ciceſtriæ ſeptem; Arundeliæ v; Bramberi x; Levveſiæ XIII; Pevenſeiæ XVII; Haſtings XIII. quæ omnes LVI conficiunt. In quibus recenſentur Caſtra decem; oppida mercatoria XVIII; parœciales Eccleſiæ CCCXII.

Locus maximi nominis in hoc Comitatu eſt Ciceſtria, urbs pulchra & ampla, mœnibuſque in ambitu probe munita,

nita. interius jacet ad sinum maris: formæ est orbicularis, & ab omni parte præterquam à septentrione *Lavant* rivulo alluitur. portis patet quatuor ad quatuor mundi plagas, à quibus plateæ recta ducunt & se decussant in medio, ubi forum celebratur. Ecclesia non magna quidem, sed admodum nitida cum præcelsa è saxo pyramide surgit.

Secundum locum flagitat *Levves;* cum Cicestria, si vel frequentiam vel amplitudinem & structuram spectes, de præstantia certans: paulo remotius à mari editiori situ jacet. Sex in oppido sunt Ecclesiæ.

Cætera loca sunt; *Arundel*, situ declivi positum, fama quam re majus; Comitem suum habens; & castrum alicujus pretii. *Pettvvorth*, interius situm oppidum. *Hastings*, unus è quinque portubus; prœlio memorabilis, quo de regno Angliæ à Guilielmo Normanno cum Haroldo certatum fuit. VVinchelseya, olim magni nominis & portuum unus: è cujus occasu Rhie in proximo effloruit; cujus portus commodus tempestate quadá effectus, fecit, ut incolis, ædificiis & piscatura atque re nautica non parum floreat. In hunc portum se evolvit Rother flu.

SVRRIA.

HÆc provincia ad ſeptentrionem à Buckingamia & Middleſexia Tamiſi flu. dirimitur; ad ortum Cantio, ad meridiem Suſſexia & Suydthantonia; ad occidentem denique Bercheria definitur. Patet in longitudinem XXXIV milliaria; in latitudinem vero, ubi maxime, XXII mill. paſſ. ita ut totius ambitus CXII milliar. contineat. Dividitur in tredecim centurias. in quibus oppida mercatoria ſita ſunt VIII: Eccleſiæque parœciales CXL.

Oppida mercatoria ſunt: *Farneham: Guilford*, forum frequens & diverſoriis nitidum: *Aclea* ſive *Ockley: Rhiegat*, amplitudine quam ſtructura ſpecioſius: *Kingſton*, frequens inprimis emporiolum: *Croydon*, ſub collibus ſitum, & Archiepiſcopi Cantuar. Palatio & carbonum mercatu notiſſimum. *Southvvorck*, celeberrimum huius agri emporium, è regione Londini ad auſtrum, ut pene illius ſuburbium videatur; cæterum adeo amplum & frequens ut non multis Angliæ urbibus concedat: ſui quondam juris, ſed Eduardo VI regnante Londino annexum ejus hodie quaſi membrum dignoſcitur.

Hæc

Hæc provincia potissimum multis magnificis & Principe dignis ædificiis dotata est: Vti sunt; *Non-Such*, quasi dicas nulli secundum, quatuor à Tamisi milliaribus, ab Henr. VIII summa magnificentia & arte constructum. *Richmondia*, olim *Shene* dicta, quam misere incendio absumtam Henricus VII multo splendidiorem è cineribus excitavit. Sedet ad Tamisim, qui hucusque exæstuantis maris accessu augescit. *Otelandes*, regiæ ædes satis elegantes in medio vivario sitæ, ubi *Wey* amnis in Tamisin descendit.

HANTONIA.

HÆc provincia à septentr. Bercheria, ab ortu Surria & Sussexia, ab austro oceano Britannico & Vecta insula, ab occasu Dorsettia & VViltonia terminatur. Patet in longitudinem milliar. LIV: in latitudinem plus minus XXX mill. pass. Ambitus totus CLV colligit. Portus habet admodum opportunos. Tractus omnis maritimus, multis castellis bene munitis firmatur. qualia sunt: *Hursta*, quod Henric. VIII excitandum curavit in lingula terræ, unde brevissimus est in Vectam trajectus. *Calshot*, quod Southantoniensis portus ingressum tuetur.

Porro in hac provincia oppida mercatoria sunt octodecim. Quorum princeps VVintonia (vulgo *VVinchcester*) in amœna sub collibus convalle sita. Ejus orientale latus flumine, occidentale castello munitur. Mœnium ambitus mille octingentos & octuaginta pass. colligit: sexque habet portas: septem Ecclesias. Vrbs frequens & pulchris ædificiis insignis.

Secundum locum flagitat Southantona, oppidum civibus frequens, opulentum & elegans, mœnibus è quadrato saxo validis circumseptum; in ambitu mille ducentosque passus continens; septem portis, & viginti novem propugnaculis distinctum. Duos habet portus; quinque speciosas ecclesias. Ad occidentalem illius partem elegantissimum attollitur Castellum, formæ circularis, duplici muro cinctum; in summo collis clivo ita positum ut non nisi gradibus eo ascendi possit; unde amœnissimus terra marique prospectus patet.

Tertium, *Portsmouth*, oppidum belli tempore satis frequens, quippe Marti magis studens quam Mercurio. Ecclesiam habet opere satis vetusto. Muro ex trabibus multo aggere vestitis, mole quondam ad ortum æstivum prope portam,

portam, & duobus ad portus ingressum è vivo saxo propugnaculis communitum: cæterum ab Elisabetha Reg. novis operibus ita firmatum, ut jam nihil desit quod in loco munitissimo requiras.

Cætera sunt: *Alresford*, mercatorium oppidum ad *Alve* amnis ripam, haud procul à lacu, è quo ille profluit. *Aultun*. *Basingstoke*, forum non infrequens. *Andover*. *Christchurch*, emporiolum frequens. *Farham*. *Havant*, mercatorium oppidulum. *Kings Cleare*, mercatus satis frequens. *Lymington*. *Odiham*. *Petersfield*. *Ringvvood*; quod olim magni nominis fuisse videtur, nunc tantum rerum venalium foro est celebre. *Rumsey*. *Stockbridge*. *Withchurch*.

DORSETTIA seu DORCESTRIA.

Dorsettia provincia, à septentrione Somersettia & VViltonia; ab occasu Devonia; ab ortu Southantonia; ab austro tota mari terminatur. Patet in longitudinem XLIV mill.; in latitudinem, ubi maxime, XXIV. Ambitus totius est CL plus minus. Dividitur in quinque præcipuas partes, quas vocant divisiones; quæ in XXXIV centu-

rias subdividuntur. Oppida mercatoria habet octodecim. Quorum princeps est *Dorcestria*, ad australem Fromi flu. ripam, & prætoriæ viæ aggerem, quæ *Fossevvay* dicitur, positum: olim mœnibus cinctum, quorum adhuc pars extat. cæterum oppidum nec magnum nec speciosum. Cætera sunt: *Beamister*. *Bere*, tenuis mercatus. *Blanford*, quod, ex quo nostra memoria (inquit *Camden*.) fortuito igne deflagravit, elegantius surrexit, & habitatoribus est frequentius. *Birtport*, in agro optimæ cannabis feraci; ideoque funibus nauticis ducendis jam pridem ita celebre, ut non aliis facile Anglica classis instruatur. *Abbascearne*. *Cramborne*. *Euershot*. *Framton*. *Lyme*, oppidulum prærupto in colle ad limitem Devoniæ, piscatoribus frequens, naviumque stationem (*cobbe* vocant) subjectam habens, scopulis & proceris arboribus à vi ventorum satis tutam. *Middleton*. *Shaffesbury*, edito colli affixum. *Scherborne*, in collis devexo positum oppidum, & hujus Comitatus hodie frequentissimum, & lanificio nobile. *Stourminster*, exile oppidum, & humiliori situ. cui ponte saxeo conjungitur *Nevvton* castrum; ubi moles magno labore aggesta eminet, sed castri

ſtri ne tantillum præter nomen ſupereſt. *Pole* aſſidet ſinui in quem flu. Fromus ſe emittit. *Warrham* juxta oſtium jacet, oppidum tutiſſimo undique ſitu, niſi ab occaſu: ab aliis partibus Trento & Fromo fluminibus, & mari circumſepitur. *Weymouth*, oppidulum ad VVey exigui fluvii oſtium. cui è regione aſſidet *Melcomb Regis*, portu tantum diviſum. Portus privilegia abjudicata fuerunt parlamentaria ſententia, poſtea tamen recuperata. Hæc, quæ olim ſuis ſeorſim privilegiis æmula fuerunt, nunc, quod in utriuſque rem ſit, parlamentaria authoritate coaluerunt, ponte nuper ſunt conjuncta, & ædificiis plurimum adaucta. Denique *Winburn*, olim Vindogladia, antiquiſſimum oppidum, quod ad collis ramentum ſedet, amplum & magna habitatorum frequentia refertum.

DEVONIA.

DEvoniæ occiduum latus Tamara flu. totum perſtringit; orientale Somerſettenſi limite perſtringitur: à ſeptentrione & auſtro Britannico & Sabriniano freto omnino alluitur. Inter utriuſque littora, à *Cunshere* Boream verſus, ad *Salcomb* portum qui ad auſtrum ſe aperit, millia paſſ. nu-

merantur LV: & ab *Hartlando* promontorio in occidente, ad Thorucombe in oriente, LIV. Ita ut totius circumferentia CCII plus minus milliaria efficiat. Regio omnis in XXXIII centurias dividitur: in quibus sita sunt oppida mercatoria XXXVII, ac CCC XCIV Ecclesiæ parochiales.

Primaria hujus provinciæ civitas est Exonia (vulgo *Execester*) Ptolomæo & aliis Isca; ad Iscam fluvium assidens, peramœno situ, in molliter acclivi & clementer edito colle, tanta ædificiorum magnificentia, incolarum opulentia, convenarum commercio & frequentia, ut nihil ibi frustra desideres. Mœnia ab Athelstano R. primum condita, circulari fere forma, nisi qua flumen spectant; portis sex opportune ornata, multis interpositis turribus & speculis. Ambitu suo MD pass. colligit. Ad orientalem partem sese attollit castrum *Rugemont*, perjucundoque in mare fruitur prospectu: ex adverso hujus cathedralis Ecclesia magnificentissima conspicitur. Regitur à majore & confratribus XXIV. Ecclesias habet XV.

Cætera sunt (ordinem *Camdeni* sequor) *Lidston*, emporiolum tenue ad fluviolum *Lid*, qui in Tamaram influit. *Tavestocke*, ad Teavum fluviolum

lum, oppidulum nemorum opportunitate amœnum. *Plimmouth*, quod superiori seculo è viculo piscatorio in amplum oppidum, civiumque frequentia urbis æmulum excrevit. Id portus commoditate factum, qui maxima navigia in sinum minime deductis velis admittit, tutissimamque stationem præbet tam in Tamara quam in Plimo flum. Ad vim hostilem arcendam satis munitum est. In medio enim ostio insula S. Michaëlis præjacet, quæ & suas munitiones habet. Ipse vero portus ad oppidum ex utraque parte munitur, & catena interposita, cum opus fuerit, clauditur, molesque ad austrum objicitur. & in colle proximo castrum. *Plimton*, forum satis frequens. *Modburg*, oppidum exiguum. *Totnes*, vetustum oppidum in declivi collis. *Dermouth*, ostio *Dert* fluv. in colle porrecto imminet; ex portus commoditate, quem duo castella defendunt, mercatoribus & instructissimis navibus frequens. *Teverton*, pannificio celebre. *Kirton*, mercatus minus frequens. *Columton*, oppidulum ad Columbum fluvium. *Honnyton*, quod ab Otterey amne subluitur. *Herton* & *Hertloud* oppidula. *Ockampton*, mercatorium oppidulum. *Prediford*, hominum fre-

quentia ponteque ſaxeo arcuato opere ſatis celebre. *Chimligh. Tavvlon* & *Tavostock. Bernstaple*, antiquioris notæ, & ob elegantiam & frequentiam facile primas in ora occidua tenens, & ſemicirculi forma ad flu. Tavum adſidens. ad auſtrum pontem habet magnificum: mœnium, quibus olim cinctum fuit, vix ulla extant veſtigia. Incolæ maximam partem ſunt mercatores. *Bamton*, in confinio Somerſettiæ. Alia minoris pretii prætermitto.

CORNVBIA.

Cornubiæ ſive Cornvvalliæ fines undique, præterquam ab ortu, oceano includuntur; quod ſi Tamara fluvius curſum ſuum ulterius vel per IV milliaria inter agrum hunc & Devonienſem Aquilonem verſus perduxiſſet, inſula potius quam continentis pars cenſeri poterat. Longitudo ejus ab oppido Launſton, ad Bolerium promontorium ſive Antiveſtæum, (vulgo *the Lands end*) ſexaginta mill. paſſ. continet: qua vero latiſſime, ſecundum Tamaram flu. extenditur XL. Vnde anguſtius ſe porro colligit & inſtar cornu tenuatur. Dividitur in Centurias novem; in quibus XXII mercatoria ſunt oppida, & Eccleſiæ parœciales CLXI.

Præ-

Præcipuum hujus Comitatus oppidum est *Launston* : oppidulum nitidum, clivo surgenti affixum; quod è duobus burgis *Dunevet* & *Neuport* quasi coaluit. Proximum *Bodman*, inter duos colles situ non ita salubri, ab ortu ad occasum protensum: celebratissimum est forum, civibus frequens & ædibus satis excultum, signandique stanni privilegio clarum.

Cætera sunt (ordinem *Camdeni* sequor) *Mousehole* , sinui , qui vulgo *Mountsbay* dicitur, incumbens. *Pensans*, emporiolum : & *Merkin*, statio malefida ad eundem sinum. *Heilston*, oppidum stanni signandi privilegio celebre. *Falemouth*, portus navium capacissimus, & tutissimus, utpote altis crepidinibus undique cinctus. In ipso aditu, rupis ardua & prærupta (*rage* vocant) surgit: Fauces utrimque muniunt castella ab Henrico VIII extructa. Huic assidet oppidum *Tregenie*. Interioribus portus hujus sinubus incumbunt, *Peryn* celebris mercatus; *Arvvenack* & *Truro* & *Grampound* : *Fowy* ad *Favvey* flu. ostium in crepidine porrectum. *Lestutthiel* ad eundem flu. interius jacens, exiguum jam oppidum, minusque frequens; licet singulis mensibus à Vicecomite hic causæ

dijudicentur, metallicorumque præses hic carcerem suum habeat. *Leskerd*, editiori colli impositum, castro antiquo foroque celebre. *Loo*, duo oppidula ad ostium fluvii ejusdem nominis; quæ ponte saxeo conjunguntur; quorum occidentale (vulgo VVestloe) maxime floret, licet recentius sit. *Saltassic*, mercatoribus satis frequens, & non paucis privilegiis gaudens. *S. Ies*, oppidum in septentrionali ora, lingula quadam in mare prominens, sed tenue alioquin. *S. Columbæ* oppidulum. *Padstovv*, emporiolum ad ostium *Camel* fluvii. hinc XXIV horis in Hyberniam trajicitur. *Stratton*, non obscurus mercatus. *Tamurlon*, oppidum ad ripam Tamaræ.

SOMERSETTIA.

PRovincia hæc tum opulenta tum spatiosa, à septentrione Sabriniano freto pulsatur, ab austro Devonia & Dorsettia, ab occasu Devonia, ab ortu partim VViltonia partim Glocestria terminatur. Patet in longitudine milliaria LV. in latitudinem paulum supra XL. Tota circumferentia CCIV millibus plus minus definitur. Dividitur in centurias XLII. in quibus oppida mercatoriá XXXIII, & parœciæ CCCLXXXV.

Inter civitates eminet *Bristolia*, non tam antiqua quam ſpecioſa & opportune ſita; aſpectu ita pulchra ut pro magnitudine ſua vix ulli Angliæ civitati cedat. Mediam interſecat Avona fluvius, qui per ſubterraneos meatus omnes urbis ſordes evehit. Non tota in hoc Comitatu ſedet, ſed pars in Gloceſtrenſi. Vnde cum ipſa per ſe comitatus ſit, neutrius fere pars cenſetur. Duplici muro quondam fuit circumdata; civibus frequens; & advenarum commercio Londino facile ſecunda. Eccleſias parœciales habet XXI. & caſtrum validum adjunctum, quod nunc dudum ruinis fatiſcit.

Vrbium, quæ vere hujus comitatus cenſentur, præcipuæ VVella & Bathonia. *VVelles* (inquit *Camd.*) primas in hac provincia ſibi ſuo jure vendicat tum incolarum frequentia, tum ædificiorum magnificentia. Templum habet ab Ina R. conditum, admodum ſpecioſum. Splendidum Epiſcopi palatium inſtar caſtri mœnibus & foſſa munitum. Iuxta hanc præſtantiſſimæ ſunt plumbi venæ, è quibus plurimum plumbi quotidie eruitur.

Bathonia, antiqua urbs, in planitie haud ita magna ſubſidet, & ex omni parte collibus] pari quaſi altitudinis

faſti-

faſtigio obvallata, è quibus perennium rivulorum ſcaturigines in urbem deſcendunt, magno civium commodo. In ipſa urbe tres calidi fontes ebulliunt, ceruleo vel marino colore tenues nebulas exhalantes, (ſulphure enim & bitumine aqua percolatur,) qui efficaci remedio corporibus, quæ pravis humoribus torpeſcunt, ſalutares; ſudorem quippe proliciunt, & humorum contumaciam edomant. Vrbs ipſa mœnibus cincta, in quibus Romanæ inſcriptiones plures inſertæ, quas vetuſtas jam corrupit. Floret lanificio & convenarum frequentia, qui huc valetudinis cauſa, præſertim ſub autumnum, confluunt.

Cætera oppida ſunt: *Dunſtor* caſtrum, loco depreſſiori ſitum; & collibus, niſi qua mare proſpicit, undique concluſum. *Melceſter*, Iſcalis Ptolomæo, foro & antiquitate ſua tantum hodie celebre: olim amplum & duplici mœnium ambitu, ut apparet, circumdatum. *Pedderton*, olim Inæ Regia, nunc tantum foro & nundinis celebre. *Odcombe*, tenue oppidulum. Martock mercatorium oppidulum. *Langport*, mercatus non infrequens. *Wellington*. *Taunton*, elegans oppidum, lætiſſimoque ſitu: hic quippe circumquaque regio

gio virentibus pratis jucunda, hortensibus deliciis florens, & frequentibus villis spectantium oculos mirum in modum afficit. *Somerton*, olim primarium totius Comitatus oppidum, nunc tantum foro boario, quod à festo Palmarum ad medium Iunium hic habetur, notum. *Bridgevvater*, oppidum magnum & frequens, quod Pedredus fluvius, jam plenior, præterlabitur. *Bruton*, ad Brium amnem. *Glastonbury*: ubi antiqnissimi & opulentissimi monasterii rudera visuntur, postquam ab Henr. VIII dirutum fuit; & reditus illius annui, qui erant 3500 libr. *sterling*, in fiscum redacti. *Philips norton*, forum celebre. *Frome Selvvood* oppidum è lanificio maximum quæstum faciens. *Canesham*: & cætera minoris notæ.

VVILTONIA.

PRovincia hæc à septentrione Glocestria, ab ortu Bercheria, ab austro Dorcestria & Hantonia, ab occasu Somersetta & Glocestria concluditur; tota mediterranea. Patet in longitudinem milliar. xxxix; in latitudinem, qua maxime, xxix: ita ut totus ambitus cxxxix mill. pass. complectatur. Dividitur in xxix centurias. in quibus

quibus oppida mercatoria XIX: Ecclesiæ CCCIV.

Primaria hujus provinciæ civitas est *Sarisburia*, ædificiorum magnificentia & elegantia nulli cedens. Templum illius speciosissimum: in quo fenestræ anni diebus; columnæ & columellæ è marmorato efformatæ, anni integri horis; portæ XII mensibus respondent. Ad Avenæ & Nadderi confluentes sedet loco humiliori, (quum vetus urbs mille circiter ab hac pass. editiori loco sederit.) Frequentissima est urbs, & omnium rerum copia affluens.

Secundum ab ea dignitatis locum tenet *Ambresburia*, Avenæ adjacens. Haud longe hinc abest moles illa, sive sepulchrum fuerit, sive trophæum, quod Stoneheng vocant: Saxa quippe ingentia & rudia, quorum nonnulla XXVIII pedes altitudine, VII latitudine colligunt, coronæ in modum triplici ordine erecta hic cernuntur, quibus alia quasi transversaria sic innituntur ut pensile opus videatur.

Cætera oppida sunt; *Crekelade*. *Wottonbasset*. *Malmesbury*, oppidum elegans, & pannis laneis conficiendis celebre, & opulentissimo cœnobio olim clarum, quod Henricus VIII demoliendum curavit, (templo tantum super-

ſuperſtite,) & reditus illius annuos 1ↄccc lib. *ſterling* in fiſcum redegit. *Calne*, antiquum oppidulum, ſaxeo ſolo ſedens, & pulchra Eccleſia ornatum. *Chippenham*; ubi nihil ſpectabile præter Eccleſiam. *Devi{a*, caſtrum quondam magnificum, cujus nunc vix rudera ſuperſunt, & oppidulum ſubjectum ejuſdem nominis. *Trubridge*, lanificio inprimis florens. *Bradford*, declivi colli affixum, & totum è ſaxo conſtructum: Avona perſtringitur. *VVetminſter*, antiquum oppidum, & mercatu frumentario nobile: Verlucionem antiquorum credit Camdenus. *Willeyvvilton*, oppidum aquis irriguum; olim totius agri caput, nunc tenue admodum. *Marleborovv*, (antiquis Cunetio,) in collis declivi ab ortu in occaſum protenſum; quod hodie pene concidit. Alia minoris momenti lubens prætermitto.

BERCHERIA.

PRovincia hæc ad ſeptentrionem Tamiſi ab Oxonienſi & Buckingamienſi agro dividitur; ad auſtrum Hantonia, ad ortum Surreya, ad occaſum VViltonia terminatur. Patet in longitudinem ab ortu ad occaſum XL milliaribus. in latitudinem, ubi maxime,

me, XXIV. Ambit centum viginti plus minus. Dividitur in XX centurias. Oppida habet mercatoria XII; Ecclesias CXL.

Readinga oppidum, quod Cunetio amnis plurimis divergiis interluit. platearum elegantia, ædium ſplendore, ſua opulentia & lanei panni texendi gloria cæteris hujus provinciæ oppidis facile præcellit, licet maxima ornamenta amiſerit. Templum ſpecioſum & caſtrum vetuſtiſſimum, quod Henricus ſecundus excidit. Monaſterium autem (ſive Abbatia opulenta) jam in regias ædes converſum eſt, quibus equile pulcherrimum adjunctum, regiis & generoſis equis refertum.

Cætera oppida ſunt: *Farendon*, foro celebre. *Abbendonia*, oppidum ſane elegans & frequens admodum. *Wantage*, mercatorium oppidum. *Wallengfordia*, antiquis Galleva, mœnibus olim cinctum, quæ mille paſſus collegerunt; caſtrum ſedet ad flumen, amplum & quondam munitiſſimum: urbs olim XII ædes ſacras numeravit; nunc tantum unam & alteram oſtendit. *Hungerfordia*, opidulum tenue & humili ſitu. *Nevvbery*, celebre oppidum, ædificiis cultuque inprimis ſpectabile, & lanificio opulentum, ſitu percommodo

modo in campeſtri planicie & Cunetione flu. interfuſum. *Lamborn*, ad rivulum ejuſdem nominis. *Maidenhead*, ponte ſublicio notum. *VVindeſore*, cui regiæ ædes ejuſdem nominis adjacent, quæ ex clementer edito colle, jucundiſſimo in orbem fruuntur proſpectu. Hic Eduardus III caſtrum urbis æmulum conſtruxit; ad cujus borealem partem, qua flumen deſpectat, Eliſabetha Regina ſubdiale ambulacrum amœniſſimum adjecit : Hic Eduardus III ordinem Equitum Garterii primum inſtituit. Caſtro ſubjacet ad occaſum & auſtrum oppidum ſatis magnum & frequens. è regione trans Tamaſim, qui hic ponte jungitur ligneo, Aetona cernitur, & in ea collegium egregium ab Henr. VI conſtructum.

MIDDLESSEXIA.

PRovincia hæc ad ſeptentriones Hartfordienſi provincia concluditur, ad occaſum à Buckingamienſi Colno fluvio, ad auſtrum à Surreya & Cantio Tamiſi, ad ortum ab Eſſexia Lea flu. dividitur. Longitudo illius inter ortum & occaſum XIX milliaria; latitudo paulo ſupra XVI continet; Ambitus XC mill. paſſuum circumſcribi-

 tur.

tur. Dividitur in VII centurias. in quibus urbes duæ; & Ecclesiæ parœciales LXXIII, præter eas quæ sunt Londini.

Londinum, non modo hujus provinciæ sed regni ipsius caput, antiquissima civitas, in clivo molliter surgente, Tamisi adposita; qui placidissimus rerum in orbe nascentium mercator, statis horis oceani æstibus superbus, alveo tuto, prealto, & navium vel maximarum capacissimo, orientis occidentisque opes quotidie invehit. A Constantino magno mœnibus è lapide structili & latere Britannico obseptam tradunt, quæ ambitu suo tria plus minus milliaria colligunt. horum partem, quæ Tamisi prætendebatur, fluminis alluvio subluit; reliqua pars fere superest; ad septentriones firmior, quippe anno 1474 restaurata; ad occasum & ortum lacera & fatiscens. Patent hæc mœnia septem portis præcipuis. Qua murus ad flumen desinit, munimenta fuerunt firmissima; quorum alterum ad ortum superest; vulgo turris Londinensis, arx sane nobilissima, mœnibus late incincta, turribus excelsa, vallo latisque munita fossis, nobili etiam armamentario & domibus aliquot ita instructa ut oppidum æmuletur. Cathedrale templum

D. Paulo ſacrum poſuit Æthelbertus R. Cantii: Turrim habet excelſam, cujus pyramis deflagravit. Præter hoc in urbe numerantur ſacræ ædes CXXI. intra quidem muros XCVI; extra vero, ſed intra libertates, XVI; & in ſuburbiis IX. Dividitur Londinum in XXVI Curias, quibus totidem Senatores (Aldermannos vocant) præficiuntur. Prætor etiam, ſummus Magiſtratus, & Duumviri, Vicecomites ſive Scherivi, annuatim à civibus eliguntur. Tamiſis Ioanne R. regnante ponte junctus fuit XIX fornicibus è vivo ſaxo arcuato, cui parem longitudine, latitudine, elegantiaque ſtructuræ vix videas. Suburbia habet urbs ampliſſima, præcipue ad occaſum: in quibus XII ſunt ædificia (Hoſpitia vocant) juri municipali conſecrata: quorum quatuor ſplendida admodum & ampla ad forum ſive Curiam (ut vocant) ſpectant (vulgo *the Iunet of Court*); reliqua ad Cancellariam. In his nobiles adoleſcentes tanto numero juris ſtudio vacant, ut nec Andegavis nec Aureliis concedant. Quatuor illa ſunt, Templum interius, Templum medium, *Graies Inne*, & *Lincolnes Inne*. Hæc ſuburbia continuis ædibus & ſuperbis ſecundum flumen habitationibus procerum ad VVeſtmonaſte-

nasterium procurrunt. His VVestmonasterium quondam plus cIↄ pass. abjunctum, urbi ita conjungitur ut pars ejus videatur; cum tamen per se civitas sit, & suos seorsim magistratus & privilegia habeat; Templo, foro judiciario, & Regia longe celeberrima. Templo per se augusto Henricus VII sacrarium admirandæ elegantiæ adjunxit, in suam & suorum sepulturam. In hoc templo tumuli Regum plurimorum & magnatum cernuntur. Ad occiduam etiam urbis partem alia suburbia procurrunt, vulgo Holburn. Ad septentriones quoque, ubi Hospitalariorum fuit domus, & Cartusianorum ædes. Ad circium itidem magna sunt suburbia; nec minora ad aquilonem & subsolanum. Qua vero urbs flumen spectat, nobili illo ponte Southvverkam conjunctam habet. Præterea Regales ædes quinque in hoc agro sitæ sunt, videlicet *Enfieldia, Hanvvortha, Withehall, S. Iacobi*, & *Hamton Court*, quæ urbis potius quam palatii principis speciem mentitur, magnificentia sua, splendidisque ædificiis nulli tota Europa secunda, à VVolsæo condita, ab Henrico VIII aucta & perfecta. Si nobilium ædes recensere vellem, hujus commentarii excederem modum. itaque

que hæc de Middlesexia dicta sufficiant.

ESSEXIA.

Essexia ad septentr. Suffolciensi & Cantabrigiensi Comitatibus terminatur; ad occasum Hertfordiensi & Middlesexia: ad austrum Tamisi flu. à Cantio dirimitur: orientale autem illius latus totum ab oceano Germanico pulsatur. Forma fere est circulari: patetque in longitudinem XXXV milliaria; in latitudinem XL. Totus ambitus CXLVI mill. pass. complectitur. Dividitur in XX centurias: in quibus mercatoria oppida XXI; Ecclesiæ CCCCXV.

Præcipua hujus urbs est Colchestria, sita ad australem ripam Colni fluvii; muris incincta, quamvis hodie fatiscentibus & ruinam minantibus. Colligit CIƆ IƆ CCCCLXXX in circuitu passus: intra quem octo pulchræ Ecclesiæ visuntur, extraque muros aliæ duæ. Floret hodie inprimis lanificio, & levidensis illis, quas *Bayes* & *Sayes* vocant, aliisque consimilis texturæ pannis. Regimen penes Duumviros, quos Ballivos appellant, & Aldermannos XII, dibaphis coccineis vestibus utentes. Frequens est urbs indigenis atque advenis, qui hic suam Ecclesiam habent.

Cætera oppida ſunt: *Waltham*, ad Ley fluvium, qua inſulas diviſo alveo ſpargit. *Barking*, ubi Roding flu. Tamiſi influit. *Leegh*, oppidum elegans, & ſtrenuis nautis refertum. *Romford*, cui gloria à foro ſuario. *Brentvvood*. *Billerecay*, forum ſatis frequens. *Ralegh*, oppidulum non inelegans. *Dengy*, centuriæ ejuſdem nominis caput; quæ gramine lætiſima, & re pecuaria dives eſt. hic magni illi caſei efformantur. *Ithanceſtre*, ad ſinum in quem plures amnes confluunt; quod oppidum hodie dicitur *S. Peters upon the vvall*. *Taxſted*, mercatorium oppidulum in colle perquam amœno ſitum. *Dummovv*, oppidum ſitu peramœno in colle modice declivi. *Chensford*, ſatis amplum oppidum in ipſo quaſi Comitatus medio, inter duo flumina, quæ ſe hic conjungunt. *Maldon* (Camalodunum antiquorum, ut judicat *Camden*.) hodie populi opulentia & ſua magnitudine inter primaria hujus provinciæ oppida merito cenſetur; ſtatio ſatis commoda, & incolis ſatis frequens; una tantum eſt platea CIↃ plus minus paſſ. in longitudinem protenſa. *Harvvich*, tutiſſima ſtatio ad Stouri flu. oſtium. *VValden* vel *Saffron Walden*, à croco dictum, oppidum in agro, blandiſ-

ſimo

ſimo croco ridente, ſitum. Cætera conſulto tranſeo.

SVFFOLCIA.

PRovincia hæc à Norfolcia Ouſa & VVauenera, ab Eſſexia Stouro flu. dividitur: occidentali illius lateri Cantabrigienſis ager incumbit: ad ortum Germanico oceano pulſatur. Patet in longitudinem milliar. XLV; in latitudinem XX mill. paſſuum ubi vel maxime ſe dilatat. Dividitur in tres partes: quarum una *the Geldable*, quaſi tributum pendens; altera, libertas S. Edmundi; tertia, libertas S. Ethelredæ dicitur. quæ ſubdividuntur in Centur. XXII. in quibus ſunt mercatoria oppida XXVIII: parœciæ IↃ LXXV.

Præcipuæ hujus provinciæ urbes ſunt primo: *Ipſvvich*, urbs portu ſatis commodo, vallo & aggere olim præmunita, mercimoniis frequens, magna habitatorum multitudine referta, ædibus amplis & magnificis exculta: perpetua ædium ſeries ab auſtro in ſeptentrion. extenditur ad CIↃ IↃCCCC paſſus; ab ortu vero in occaſum CIↃ CIↃ C XX. Duodecim habet Eccleſias parœciales, præter alias quæ corruerunt. Corpus politicum conſtat ex duodecim Burgenſibus. (*Portmen* vocant.) è quibus

eliguntur duo Ballivi, totidem Iuſticiarii ex XXIV aliis.

Dein *S. Edmunds bury*. Sol (inquit Lelandus) non videt urbem ſitu elegantiorem, ſic molli delicata pendet in clivo; & rivulus ad orientem defluit: aut cœnobium illuſtrius, ſive quis dotationem, ſive amplitudinem, aut magnificentiam æquis rationibus expendat: Diceres plane cœnobium urbem eſſe; tot portæ, partim etiam æneæ, tot turres & templum, quo nullum magnificentius, cui alia tria egregio opere nitentia uno & eodem cœmeterio ſita inſerviunt: CIↃ IↃ LX libr. quotannis ex reditibus & latifundiis collegit: quæ præter ampliſſima donaria Henricus VIII everſo cœnobio in fiſcum redegit.

Cætera oppida ſunt: *Nevvmarket*, forum rerum venalium copia celebre. *Sudbury*, oppidum populoſum, & pannis conficiendis opulentum; quod Majorem habet pro ſummo magiſtratu, qui quotannis ex VII Aldermannis eligitur. *Hadleigh*, laneis pannis conficiendis hodie celebre. *VVoolpit*, ſive *VVulpit*. *Stovv*. *Needham*. *Mendlesham*. *Debenham*. *VVoodbridge*, oppidulum nitidis ædificiis excultum. *Framlingham*. *Orford*, amplum quondam & frequens

frequens oppidum, ſed nunc portu oblimato tenue. *Aldeburgh*, ſtatio nautis & piſcatoribus ſatis commoda, indeque frequens. *Dunvvich*, quondam magni momenti, nunc tenue oppidum. *Blithborovv*, exiguum oppidulum. *Southvvold*, in planitie, aperto littore mari objacet; oppidum non infrequens, beneficio portus, quem Blith flu. ibi ſe exonerans præbet; & accedente æſtu ita undis circumfuſum ut inſula videatur. *Leſtoffe*, vel *Layſtoſt*, anguſtius oppidum mari impendens.

NORFOLCIA.

PRovincia hæc quaſi inſula, ovali forma, ad auſtrum VVaueneia & Ouſa à Suffolcia dividitur: ad ſeptentrionem & eurum oceano Germanico alluitur: ad zephyrum à Cantabrigienſi provinc. Ouſæ majoris ramis; à Lincolnia Auſona fluv. diſterminatur. Patet in longitudinem L plus min. milliaria: in latitudinem quaſi XXX. Totius ambitus eſt CCXLII. Dividitur in centurias XXXII. in quibus mercatoria oppida XXX: Eccleſiæ IↃC LX.

Inter oppida tria excellunt. Primum, *Norvvicum*, peramœno ſitu, in convalle ſeu potius levi collis dejectu, ad flumen Hierum ſive Garinem: ad

orientem Montes & Ericetum Muſſoli proſpectans. Sub Eduardo I mœnibus pulchris & validis obſepta. Parœcias plus minus xxx hodie complectitur, cum ſuperiori ſeculo multo plures numeraverit. Suis opibus, frequentia, ædificiorum elegantia, civium ſedulitate, in principem fide, in advenas humanitate, inter celeberrimas Angl. urbes numeranda. Forma eſt oblongiori; à meridie in ſeptentrionem mille quingentos paſſus protenta; latitudine dimidio minore; ad meridiem ſenſim ſe quaſi in conum contrahente. Mœnibus validis (in quibus crebræ diſpoſitæ turres & undecim portæ) undique obſepta, præterquam ad ortum, ubi flumē (quum ſinuoſo flexu, quatuor pontibus ſtratum, ſeptentrionalem urbis partem interluerit) profundo alveo & præcipitibus ripis defendit. Nonnihil Belgis debet, qui tyrannidem D. Albani & ſanguinarium inquiſitionis tribunal pertæſi huc magno numero confluxerunt, & opificium levidenſium quorumdam pannorum primi intulerunt.

Secundum Lynne, qua Ouſe fluvius oceano obnititur, ſinui maris aſſidens, (quem vulgo the VVashes vocant.) oppidum amplum, profunda foſſa, mœnibus

nibus magna ex parte cinctum, duobusque exiguis fluviolis divisum, qui pontibus plus minus XV conjunguntur: portus securitate, qui aditu facillimus, mercatorum frequentia, ædium pulchritudine, & civium opulentia, Norvvico facile secunda.

Tertium est Yarmutha, portus & oppidum elegantissimum, loci ingenio & solerti opera permunitum. quamvis enim aquis pene circumvalletur ab occasu flumine quod versatili ponte insternitur; ab aliis partibus oceano, nisi ad septentriones qua continens est: mœnibus tamen satis firmis, quæ cum flumine formam quadrilaterem oblongiorem efficiunt, pulcherrime includitur; in quibus præter turres, ad ortum moles eminet, unde tormentis majoribus in mare subjectum, quod vix L pass. abest, longe lateque effulminatur. Templum unicum habet, sed amplum & excelsa pyramide conspicuum. Cives rei mercatoriæ & præsertim capturæ halecum dant operam. itaque hic maximæ & frequentissimæ sunt nundinæ circa festum Michaëlis. Portus magnis sumtibus contra oceani vim defenditur. Oppidani ea humanitate sunt, ut veteri more, jam inde à majoribus instituto, quoscunque melioris

lioris notæ advenas hoſpiteſque comiter invitent, conviviiſque laute excipiant.

Cætera oppida ſunt: *Thetfordia*, ſatis amplum oppidum & antiquum, ſed raris nunc habitatoribus. *Dyſſe, Holt*, ad ripam flu. Thyrn. *Aileſham*, forum non infrequens. *Buckenham. VVauburne. Claye. VValſingham* utrumque, majus, & ſeptentrionale. *Svvaffham*, forum celebratum. & alia minoris notæ.

CANTABRIGIENSIS COMITATVS.

HÆc provincia ab aquilone Lincolnia & Norfolcia; ab ortu Norfolcia & Suffolcia; ab auſtro Hartfordienſi agro & Eſſexia; ab occaſu Bedfordienſi & Huntingdonienſi Comitatibus terminatur. Ejus longitudo in milliar. XXXV porrigitur: qua latiſſime patet, vix XX colligit. Omnis tamen ambitus per laciniofos anfractus CXXVIII mill. paſſ. complectitur. Dividitur in XVII centurias. in quibus oppida mercatoria VIII, Eccleſiæ CLXIII.

Inter oppida eminent duo. Primo Cantabrigia, quam vetus Camboritum opinantur, Saxonibus Granceſtria dicta. Vrbs hæc, quæ altera Angliæ Academia,

demia, ad Camum ſedet; qui, quum occidentale illius latus inſulis ludens perſperſerit, ad orientem converſus in partes diſpartit duas, ponteque conjungitur, unde recentius nomen enatum. Vltra pontem caſtellum cernitur amplum & vetuſtum, quod ſua jam fata compleſſe videtur; & collegium S. Magdalenæ ſacrum. Cis pontem, ubi urbis pars longe maxima jacet, platearum deſcriptione, templorum frequentia & XVI pulcherrimis collegiis omnia nitent. Primum collegium, quod domus S. Petri vocatur; anno CIϽ CC LXXXIV extructum. Dein Aula Clarenſis, anno CIϽ CCC XLVII. Tertio Aula Penbrochienſis, anno CIϽ CCC XLVI. Collegium corporis Chriſti. Aula Trinitatis, anno CIϽ CCC LIII. Collegium Caii & Gonelli. Collegium regium, anno CIϽ CCCC-XLI; cui adjunctum ſacellum pulcherrimi operis. Collegium reginale, anno CIϽ CCCC XLVIII. Aula S. Catharinæ. Collegium Ieſu, anno CIϽ CCCC XCVII. Collegium Chriſti. Collegium S. Ioannis. Collegium Magdalenæ, ann. CIϽ IϽ-XLII. Collegium S. Trinitatis, anno CIϽ IϽ XLVI; quod jam novis aliquoties operibus auctum, ſua amplitudine, ædium pulchritudine, vix alteri in orbe Chriſtiano cedit. Collegium Emanuelis.

nuelis. & denique Sidnæum.

Secundo, Ely, urbs non exigua, sed sua nec elegantia nec frequentia prædicanda, utpote ob uliginosum situm cœlo parum salubri. Templum tamen habet amplum, excelsum & elegans.

Cætera oppida sunt: *Roiston*, in ipso agri limine, notum oppidum, sed novum. *Reche. VVisbich*, Episcoporum Eliensium castrum inter flumina & paludes sedens. *Nevvmarket. Littleport. & Lynton.*

HERTFORDIA.

HErtfordiensis Comitatus à septentrione Bedfordiam & Cantabrigiensem; ab ortu Essexiam contingit: ab austro Middlesexia; ab occidenti Buckingamia & Bedfordia concluditur. Longitudo XXVII: latitudo XXVIII milliar. continet. totus denique ambitus quasi CXXX mill. pass. Dividitur in VIII Centurias: in quibus sunt oppida mercatoria XVIII, Ecclesiæ CXX.

Præcipuum hujus oppidum *Hertfordia*; licet nequaquam dives aut pulchrum. A Lea amniculo subluitur. Castrum habet ad Leam, situ amœnum, sed ruinæ proximum.

Cætera sunt: *Roiston*, distrahendo Byni celeberrimum & frequentissimum.

vum. *Baldock. Hitching. VVare*, amlum & frequentissimum oppidum, & ıospitiis quamplurimis insigne. *Puceridge. Stortford*, exiguum oppidum. *S. Albans*, ex Verolamii ruinis eductum, oppidum elegans & amplum; ibi quondam monasterium fuit opulentum; cujus adhuc templum superest, magnitudine, elegantia & vetustate suspiciendum. *Hempsteed*, inter colles ad fluviolum positum. *Barckhamsted. VVatford. Rickemansvvorth. Bernet*, foro pecuario celebre. & alia minoris momenti.

BEDFORDIA.

A Septentr. Huntingdoniensi agro, ab ortu Cantabrigiensi & Hertfordia, ab occidente Buckingamiensi & Northanthonensi conjungitur. A Borea in austrum XXIV; ab ortu in occasum XIV mill. patet. Ambitus LXXIII mill. pass. circumscribitur. Dividitur in IX Centurias. in quibus oppida X, Ecclesiæ CXVI.

Præcipuum hujus oppidum Bedfordia, copiosum admodum & peramœne situm, Vsa per medium se agente, qui ponte saxeo specioso conjungitur. Ecclesias habet quinque.

Cætera sunt: *Potton. Shelfford. Bigles-*

glesvvade, equorum nundinis & ponte lapideo celebratum. *Anthil. VVoburn. Tuddington. Dunstable*, in solo cretaceo situm, incolis satis frequens, & diversoriis plenum; quatuor habet plateas ad quatuor mundi plagas. *Leigton* & *Luton*.

BVCKINGAMIA.

AD boream Northamtonensem & Bedfordiæ Comitatum contingit; ad ortum Hertfordiam; ad austrum Bercheriam; cætera Oxoniensem provinciam. Longitudo XXXIX mill. pass. à borea in austrum: latitudo XVIII milliar. capit. Ambitus CXXXVIII milliarium. Dividitur in VIII Centurias. oppida habet XII, Ecclesias CLXXXV.

Buckingamia, provinciæ caput, uberi solo ad Vsæ ripam posita, qui hoc oppidum pene undiquaque præcingit; ac tribus è saxo pulcherrime constructis pontibus jungitur.

Cætera sunt: *High-vvickham*, amplitudine sua & ædificiorum elegantia maximis in hoc agro oppidis æquandum. *Colbroke*, ad Cole fluvium; qui hic in IV alveos finditur, & totidem pontibus transitur. *Amersham*, sive *Agmondsham*. *Aylesbury*, emporiolum amplum, satis frequens, amœnissim:

ſima pratorum & paſcuorum viriditate incinctum. *Stony Stratford*, ad auſtralem Ouſæ ripam; oppidum ſatis magnum, quod duas habet Eccleſias. *Oulney*. & alia minoris momenti.

OXONIENSIS COMITATVS.

COmitatus hic ad ſeptentr. VVarvvicenſi & Northantonenſi: ad ortum Buckingamienſi: ad occaſum Gloceſtrenſi concluditur: ad auſtrum Tamiſi à Bercheria ſeparatur. Longitudo illius ad XL fere mill. porrigitur: latitudo, ubi maxima eſt, vix ad XX. Ambitus plus minus CXXX mill. paſſ. capit. Dividitur in centur. XIV; in quibus oppida ſunt X, Eccleſiæ CC LXXX.

Inter oppida eminet *Oxonia*, nobiliſſima Academia, urbs egregia & nitida, ſive privatorum ædificiorum elegantiam, ſive publicorum magnificentiam ſpectes: ſituque perquam amœno; planitiem enim ita obvallant nemoroſi colles, ut hinc auſtro & zephyro excluſo, tantum eurum & aquilones admittant. Mœnibus quidem maxima ex parte cincta eſt, ſed quæ jam vetuſtate labaſcunt. In hac hodie viſuntur Collegia ſedecim, & aulæ octo. nimirum, Collegium Balliolenſe,

anno 1269 conſtructum: Mertonenſe, ann. 1274: Collegium univerſitatis: Exonienſe: Regium: Reginale: Novum: Dunelmenſe ſive S. Trinitatis: Lincolnienſe: omnium animarum: Magdalenæ: Ænei naſi: corporis Chriſti: ædes Chriſti: Bernardi ſive Ioannis Baptiſtæ: denique Ieſu. Quæ omnia magnis reditibus ſunt dotata. Bibliotheca præterea hic longe pulcherrima & inſtructiſſima, quæ ſplendorem ſuum debet Thomæ Bodleio Equiti.

Cætera oppida ſunt: *Burford*. *VVitney*, antiquum oppidum. *VVoodſtocke;* ubi ædes ſunt regiæ magnificæ. *Banbury;* cujus caſei ſupra modum laudantur. *Thame*, inter flumina grato admodum ſitu. *Henley*, ad Tamiſis ripam peramœno ſitu. *VVatlington*, mercatus tenuis: *Chipping-Norton*, & *Hoock-Norton*.

GLOCESTRIA.

Comitatus hic ad ſeptentr. VVigorinenſes & VVarvvicenſes conterminos habet; ad ortum Oxonienſes & VViltonienſes; à meridie Somerſettenſes; ad occaſum VVye fluvio & Herefordienſibus conjungitur. Patet in longitudinem XLVIII millia; in latitudinem XXVIII. Ambit CXXXVIII mill. paſ-

passuum. Dividitur in quatuor præcipuas partes; quæ subdividuntur in xxx centurias. in quibus sunt oppida mercatoria xxiv.

Caput hujus provinciæ *Glocestria:* quæ urbs exporrecta Sabrinæ flum. imminet; qua flumine non alluitur, firmissimo muro septa, templorum numero, & ædium descriptione satis elegans. In australi parte castrum è saxo quadrato consurrexit, jam maxima ex parte caducum. Templum cathedrale habet pulcherrimum, & summa arte atque elegantia structum.

Cætera oppida sunt: *Deane*, juxta quod sunt opulentæ ferri venæ. *Teukesbury*, ampium & elegans oppidum, tribus pontibus ad tria flumina pervium, laneis pannis conficiendis celebre. *Barckley*, castro munitissimo notissimum. *Thornbury*. *Dursley*. *Camden*, mercatus satis celebris. *VVinckelcombe*, oppidum satis frequens. *Stovv on the VVould*, sublimi situ. *Nortleach*. *Cirencester*, urbs vetustæ memoriæ, cujus mœnia olim in ambitu duo milliaria collegerunt; nunc vix quarta pars intra mœnia habitatur; Lanificio quæstum faciunt incolæ. Cætera minoris momenti omitto.

HEREFORDIA.

Comitatus hic à ſeptentrione VVigornienſi & Salopienſi agro includitur: ab ortu Malverni collibus à Gloceſtrienſi Com. dividitur: ad auſtrum Monmutenſi coërcetur: ad occaſum à Brechinia montibus & Radnoria definitur. Dividitur in centurias XI; in quibus oppida mercatoria VIII, Eccleſiæ LXXVI. Ambitus illius CII milliar. occupat.

Præcipuum oppidum *Herefordia*, mœnibus olim ſeptum, quæ etiamnum integra; in quibus ſex portæ, & turres ſpeculatoriæ XV. mille quingentos paſſus in ambitu colligit. regitur à Majore & XXXI civibus, qui vulgo Electio dicuntur.

Cætera ſunt: *Lemſter*, lanæ bonitate & frumento felix. *VVebleya*. *Ledburg*, Ceddeno fl. appoſitum. *Roſſe*, fabris ferrariis notum. *Pembridge*. *Kyneton*, &c.

VVIGORNIA.

VVIgornia, vulgo VVorceſter, ab aquilone Staffordia, ab ortu VVarvvico & Oxonienſi provincia, ab auſtro Gloceſtrenſi agro concluditur, ad occaſum Malverniis collibus ab Herefordienſi

fordienſi agro disjungitur. Ambitus illius cxx mill. paſſ. comprehendit. Dividitur in VII centurias; in quibus oppida mercatoria x, Eccleſiæ CLII.

Præcipua hujus urbs *VVigornia*, Saxonibus *VVirenceaſter*, ad orientalem Sabrinæ ripam ſita eſt, & , niſi qua fluvio alluitur, muro triquetra forma cingitur; qui in ambitu CIↃ IↃ CL paſſ. colligit: in quo VII portæ, & turres ſpeculatoriæ V. Flumen turrigero ponte jungitur. Eccleſiam cathedralem habet pulcherrimam, & minores XI. Amœniſſimo loco poſita eſt, commercio celebris, & opulentis civibus culta. Politia ejus optima, quam duo Ballivi, è viginti quatuor civibus electi, duo Aldermanni, duoque Camerarii adminiſtrant, cum communi conſilio, quod ex XLVIII civibus conſtat.

Cætera oppida ſunt: *Beavvdley*, amœniſſime in declivi colle flumini impendens. *Kiddenminſter*, remotius à ripa; oppidum nitidum, & forum frequens, Stoure fluviolo diviſum. perpulchram habet Eccleſiam. *Draitvvich*, ubi tres fontes ſalſi ſcaturiunt, è quibus ſal puriſſimus & candidiſſimus ab æſtivo ſolſtitio ad brumale excoquitur. *Vpton*, mercatus notiſſimus. *Eveſham*, oppidum ſatis elegans, ſur-

genti à flu. colli impositum. *Parshor. Sturbridge*, &c.

VVARVVICENSIS COMITATVS.

PRovincia hæc à septentrione Staffordia; ab ortu Leicestria & Northantonia;ab austro Oxoniensi & Glocestrensi agro; ab occasu VVigorniensi terminatur. Longitudo illius milliar. XXXIII. latitudo XXV mill. pass. Ambitus CXXXV milliar. capit. Dividitur in IX centurias. in quibus oppida mercatoria XV, Ecclesiæ CLVIII.

Præcipuum illius oppidum *Coventria*, urbs tum mœnibus firma, tum ædificiis elegans. in mœnibus XII portæ, & XVIII turres visuntur. duo habet templa rari operis. hodieque satis frequens est.

Proximum huic *VVarvvicus*, ad ripam Avonæ fl. situ peramœno, ad collem à flumine acclivem, quod valido & specioso ponte conjungitur; cujus fluenti impetum amplissimum & magnificum castrum ab oppido arcet. mœnibus olim cinctum fuisse videtur, quorum adhuc portæ superant. bina habet speciosa templa.

Cætera sunt: *Kineton. Sovvtham*, mercatus frequens. *Rugby*, forum fre-

frequentissimum laniis. *Stratford*, ad Avonam emporiolum non inelegans. *Bitford*, ad Avonam. *Henley*, ad Aleni flu. ripam. *Aulcester*, tenue oppidum, sed frumentariis nundinis celebre. *Kenelvvorth*, cum castro pulcherrimo & munitissimo. *Bremicham*, ferrariorum sedes. *Sutton. Colfield*, loco saltuoso & ingrato situm. *Atherston*, mercatus frequens, &c.

NORTHAMTONIA.

PRovincia hæc ad septentrionem à Lincoln. VVellando fluvio; ad ortum Ausona (vulgo Neu) ab Huntingdon. separatur; ad austrum à Buckingamia & Oxoniensi; ad occidentem à VVarvvicensi agro clauditur. Longitudo ejus XLVI milliarium: latitudo XX mill. pass. Ambitus CXX milliarium. Dividitur in centur. XX; in quibus oppida mercatoria X, Ecclesiæ CCCXXVI.

Primarium oppidum *Northantonia*, amplo inprimis ambitu, venustate & structura plerisque hujus regni urbibus minime cedens. Sedet ad confluentes duorum flu. Ad occidentale illius latus castrum sedet colli impositum, cujus muri jam ruinam minantur. huic ad austrum mœnia urbis contigua

ſunt;& in orbem ducto ambitu occurrunt flumini ad ſeptentrionem; colliguntque in ambitu CIↃC XX paſſ.

Secundum, *Petriburgus* urbecula; ubi monaſterium fuit celeberrimum ad Henrici VIII uſque tempora: tunc è monaſterio Eccleſia eſt facta cathedralis, quæ, ſi ſtructuram ſpectes, ipſa antiquitate pulchra eſt.

Cætera ſunt: *Tovvceſter:* unica eccleſia ſpectabile. *Wellingborovv. Keteringh*, forum non infrequens. *Oundle*, elegans oppidulum. &c.

HVNTINGDONIA.

PRovincia hæc ab auſtro Bedfordienſes, ab occaſu Northantonenſes; ut & à ſeptentrione, qua Avona fl. dirimitur; & ab ortu, Cantabrigienſes ſpectat. Dividitur in quatuor centurias; in quibus ſunt oppida mercatoria VI, Eccleſiæ LXXIX.

Hujus Comitatus caput eſt *Huntingdona*, ab aquilone ad leniter acclivem Vſæ ripam poſitum oppidum, magnum & frequens olim, ſed hodie ex XV Eccleſiis omnes, exceptis tribus & matrice Eccleſia B. Mariæ, ſuis ruinis ſepultæ jacent.

Reliqua oppida ſunt: *S. Neoti fanum. Kimbolton. S. Iues. Yaxley.* &c.

RVTLANDIA.

AB aquilone Lincolnienſi agro includitur; ab ortu & auſtro VVellando flu. à Northantonienſi provincia ſeparatur; ab occaſu, Leiceſtrenſi coërcetur. Patet in longitudinem XII millia; in latitudine vix IX. Ambitus XL mill. paſſuum colligit. Dividitur in V centurias: in quibus Eccleſiæ XLVIII.

Oppida ſunt: *Ockham*, oppidum ſane elegans (quod ſpectat ad Baronem de Exton) & ſpatioſum; Templum habet pulchrum; & caſtellum quod vetuſtate fatiſcit. & *Vppingham*, acclivi loco ſitum cum frequenti mercatu.

LEICESTRIA.

COmitatus hic ad ſeptentrionem Nottinghamenſi, ad ortum Lincolnienſi & Rutlandia, ad auſtrum Northantonenſi, ad occaſum VVarvvicenſi & Derbienſi provincia terminatur. Patet in longitudinem milliaria XXX: in latitudinem XX. Ambitus illius eſt CXCVI millia paſſuum. Dividitur in VI centurias; in quibus oppida mercatoria XII, & Eccleſiæ CC.

Primaria urbs *Leicestria*, satis antiqua & venusta: mœnia illius sub Henrico II diruta; uti & castrum. parœciales ecclesias hodie numerat VII.

Reliqua oppida sunt: *Hinckley. Bosvvorth*, antiquus mercatus. *Ashbye de la Zouche*. *Mountsorrel*. *Longhborrovv*, amplitudine & structura & sylvarum amœnitate secundum locum sibi vendicans. *Dunnington*, castrum. *Melton. Moubray*; ubi templum speciosum. *VValtham*. *Littervvorth*. *Hallaton* & *Harborovv*.

LINCOLNIA.

COmitatus Lincolniensis, qua boream spectat, Abo sive Humber æstuario coërcetur; qua ortum, oceano Germanico: ad austrum à Cantabrigiensi & Northantonensi agro Ausona fluvio; ad occasum à Nottingamensi & Eboracensi provinciis Duno & Trenta flu. dividitur. Patet in longitudinem milliar. LV: in latitudinem XXXV. Ambitus illius CLXXX mill. pass. colligit. Dividitur in tres partes, Lindeseyam, Kestevenam & Hollandiam. Lindeseya subdividitur in centur. XVII. Kestevena in XI. Hollandia in tres. In quibus oppida mercatoria XXX: Ecclesiæ IↃC XXX.

Caput

Caput provinciæ Lincolnia, urbs perantiqua, olim & magnificentior & frequentior: E quinquaginta Ecclesiis, quas olim habuit, præter Cathedralem, hodie tantum XV superſunt. Politia hujus urbis penes Prætorem eſt & duos Vicecomites, quibus adhibentur XII Aldermanni coccinea veſte induti. Poſita eſt in acclivi colle, ubi VVithama in ortum ſe deflectit, & tribus modicis alveis diviſus inferioris urbis partem alluit, & duobus pontibus tranſitur.

Reliqua oppida ſunt: *Croylandia* in Hollandia, oppidum inter paludicolas celebre, inacceſſum, niſi à ſeptentrione & ortu, idque per anguſtos aggeres: tribus conſtat plateis, quæ aquis intercurrentibus diviſæ, & conjunctæ ponte triangulari admirando artificio: incolis ſatis eſt frequens, qui quæſtum faciunt è piſcium & avium captura. *Spalding*, oppidum elegans, rivulis undique concluſum. *Kirckton*, in ſuperiori Hollandia. *Boſton*, ſive *Botolphi*, oppidum ad VVithamæ oſtium, qui ponte ligneo ſublimi ſternitur; oppidum celebre, & portus opportunitate frequens; Eccleſia ſpecioſa & turri editiſſima conſpicuum: ædificiis elegans, & commercio dives. *Stanfordia*, oppidum frequens ad VVellandum fluvium, muroque firma-

firmatum: Ecclesias parochiales habet VII. *Deeping. Burne. Folckingam. Paunton*, ad VVithamæ ripam. *Grantham*, oppidum non infrequens, & templo speciosa exornatum. *Horncastle. Tattershal*, regione palustri satis commode positum. *Bullingbrooke. Wainfleete. Alfird. Louth*, frequens emporiolum. *Grimsby. Thongcaster. Barton*, ubi trajectus celebris in Eboracensem provinciam. *Merket-Rosin. Glanford*, tenuis mercatus. *Gainerborovv*, ad Trentam. *Burton*. aliaque ignobiliora.

DARBYA.

PRovincia hæc ad septentrionem Eboracensi agro clauditur; ad ortum Nottingamensi; ad austrum Leicestrensi; ad occasum Dovo & Goito flu. à Staffordiensibus & Cestriensibus dividitur. Patet in longitudinem inter boream & austrum XXXVIII pass. millia: in latitudinem circiter XXX. Ambitus illius CXXX colligir. Dividitur in VI centurias; in quibus sunt oppida VIII, Ecclesiæ CVI.

Præcipua urbs *Darbia*, occidentali ripæ Derventionis flu. imposita, qui hic pulcherrimo ponte lapideo jungitur. Ecclesias numerat quinque. Regitur

tur à duobus Ballivis, qui quotannis è XXIV senatoribus eliguntur: præter totidem burgenses, qui commune Concilium constituunt.

Cætera oppida sunt: *Ashburne. Alfreton. Chesterfield. VVorkesvvorth*, plumbariis operibus nobile. &c.

STAFFORDIA.

Comitatus hic ad septentrionem concluditur Cestriensi & Darbiensi provinciis; ad ortum Dovo & Trenta fluminibus à Darbia separatur; ad austrum VVarvvicensibus & VVigorniensibus præcingitur; ad occasum habet Salopienses. Patet in longitudinem inter septentrionem & meridiem XLIV milliaria: in latitudinem XXVII. Ambitus CXL millia passuum comprehendit. Dividitur in V centurias; in quibus oppida sunt XIII, Ecclesiæ CXXX.

Caput Comitatus *Staffordia*, oppidum ab Eduardo seniore extructum, à Rege Ioanne incorporatum: ad orientale & australe latus à suis Baronibus muro fossâque cinctum: à Sovvo flumine irrigatur.

Reliqua oppida sunt: *Lichfeldia*, quæ superiorem amplitudine & antiquitate superat; urbs humili situ, satis ampla

ampla & nitida, in duas partes palude divisa, quæ duobus aggeribus conjunguntur: australis pars major & in varias plateas descripta; altera minor, templo tamen spectatissimo insignis, quod pulcherrimo mœnium ambitu cingitur. *VVolver-Hampton. VValsal*, non infimæ sortis mercatus, juxta Tamam flu. *Tamvvorth*, ad Tamæ ripam. *Nevvcastle, under Lime. Stone. Burton*, super Trentam, alabastrinis operibus nobile. *Leeke. Vlcester*, colli molliter acclivi assidens, re pecuaria magis dives, quam structura elegans, &c.

SALOPIA.

SAlopiensis Comitatus, vulgo *Shropp-Shire*, ad septentrionem Cestria, ad ortum Staffordia, ad meridiem VVigornia Herefordiaque, ad occasum Montgomeria & Denbighia terminatur. Patet in longitudinem XXXIV milliaria: in latitudinem XXIV. Ambitus CXXXIV mill. pass. colligit. Dividitur in XV centurias; in quibus oppida XIV, Ecclesiæ CLXX.

Præcipuum illius oppidum *Salopia*, vulgo *Shrovvesbury*, ambitu, commerciis, & opulentia paucis Angliæ urbibus cedens: mœnia illius valida CIↃ LXX pass. comprehendunt; præter munimen-

nentum à Castello ad Sabrinam perductum: Sabrina autem duobus è saxo pulcherrimis pontibus in oppidum ducit: ad boream assidet Castellum, quod iam ruinam minatur. Vrbs collem occupat subrufescentem, Sabrinaque duobus pontibus pervius, in gyrum se agens fere totam incingit. Commerciis hodie dives; huc enim fere omnes VValliæ commoditates tanquam ad commune emporium confluunt.

Cætera sunt: *Bischops castle*. *Ludlovv*, ad Temd: cum Corvo confluentes colle attollitur, majore elegantia quam vetustate oppidum: mœnibus cinctum, quæ plus minus cIɔ pass. colligunt: Concilium limitaneum hic celebratur. *Bridgnorth*, ad dextram Sabrinæ ripam, muris, fossa, amplo castro, & Sabrina, qui hic altissimus, tutum. *Shipton*. *VVenlocke*. *Drayton*. *VVem*. *Osvvestre*, urbecula fossa & muro inclusa, exiguoque castello munita, pannorum VVallicorum mercatu felix. *VVhitchurch*. & alia ignobiliora.

CESTRIA.

NObilissimus hic Palatinus Comitatus, ad septentrionem à Lancastrensi flu. Merseio; ad ortum Merseio,

Gorto

Goito & Dano flu. à Darbiensi & Staffordiensi provinciis discluditur; ad austrum Salopiensem & Flintensem agros attingit; ad occasum Deva flu. à Denbigiensi separatur. Patet in longitudinem inter ortum & occasum XLVII milliaria: in latitudinem XXVI. Ambitus est CXLII mill. pass. Dividitur in VII centurias: in quibus oppida sunt XIII, Ecclesiæ LXXXVI.

Præcipua urbs *Cestria*, sita ad Devam flumen, quod ponte saxeo VIII fornicibus subnixo jungitur; in cujus utroque extremo porta surgit; unde perpetuo ductu mœnia urbem cingunt forma pene quadrangulari, sed oblongiori; celsa admodum & firmi operis; quæ II plus minus CIↃ pass. in ambitu colligunt. Ad australem urbis partem Castrum assidet validum orbiculari forma, cujus area quoque circulari muro inclusa: ad borealem vero Templum cathedrale. Septem præterea habet parœciales ecclesias. Portus illius hodie nonnihil oblimatur.

Reliqua oppida sunt: *Malpas*, ad Devæ ripam in edito colle situm. *Nantvvich, Middelvvich* & *Nortvvich*, salinæ nobiles, V vel VI mill. pass. à se invicem distantes: *Nantvvich* autem maximum & elegantissimum oppidum; eccle-

ecclesiam habet unicam perpulchram. *Congleton*, amplum & frequens oppidum. *Maclesfield*. *Knottesford*. *Haulton*, opppidum cum suo castro. *Sondbach*. *Stopford*. *Tervin*. & *Altringham*. &c.

LANCASTRIA.

PRovincia hæc ad austrum Merseio flu. à Cestria secluditur; ad ortum habet Darbiam; à septentrione Eboracensem provinciam cum VVestmerlandia & Cumbria; ab occasu Hibernico mari alluitur. Patet in longitudinem LVII millia passuum: in latitudinem XXXI milliaria. Ambitus illius est CLIII millia passuum. Dividitur in VI centurias; in quibus oppida XV, Ecclesiæ XXVI, præter capellas quamplurimas.

Primarium oppidum *Lancastria*, situ amœnum, sed non admodum frequens, ad australem Loni ripam. Omne decus hujus oppidi, in templo, castro & ponte consistit. Plateæ plures & in longum protensæ.

Cætera sunt: *Rochdale*, mercatus frequens, ad Roch flu. in valle situs. *Bury*, Irevvello appositum oppidum. *Manchester*, circumvicinis oppidis præcellens; elegantia, frequentiaque, lani-

ficio, foro & templo: Mancunium Antonino. *VVarrington. Ormeskirke. VVigghin*, oppidum cultum & copiosum. *Preston*, amplum, elegans, & frequens oppidum. *Blackburn. Vlverston. Boulton. Burie. Colne. Lerpoole.*

EBORACENSIS PROVINCIA.

Eboracensis provincia, vulgo *Yorckshire*, ad arctum Dunelmensem episcopatum objectum habet, perpetuo Tesis flu. cursu divisum: ad ortum oceano Germanico pulsatur: ad occasum Lancastrensi agro & VVestmerlandia: ad austrum Cestrensi, Darbyensi, Nottingamiensi, & Lincolniensi clauditur. Patet in longitudinem LXX mill. passuum: in latitudinem LXXX. Ambitus est CCCVIII milliarium. Dividitur in tres partes, *VVest-Riding, East-Riding*, & *North-Riding*. VVest-Ridingh oppida mercatoria habet XXI, & Ecclesias CIV. East-Riding & North-Riding oppida XXV, Ecclesias CCCCLIX.

Caput omnium est *Eboracum*, urbs peramœna, ampla & magnificentissima, opibus civibusque referta; validis propugnaculis munita, & ædificiis publicis privatisque splendidis ornata. Henricus VIII hic concilium ad septentriona-

trionalis hujus plagæ caufas judicandas conftituit. Interluit Vrus fluvius, & quafi in duas partes fecat, quæ lapideo ponte conjunguntur: Pars occidentalis, quæ minus frequens, mœnibus pulcherrimis & flu. fepta eft; Pars orientalis, ædificiis denfa & anguftioribus plateis conclufa, firmiffimis itidem mœnibus armatur; & ad ortum Brumalem Foffi profluentis fatis profundo alveo vallatur; qui in ipfam urbem cæca via penetrans, ponte continetur ita ædificiis continuo, ut potius vicus videatur. Hic & magnificum Cathedrale templum vifitur.

Proximum huic eft Kingfton, fuper Hullum, vulgo *Hul*, oppidum non admodum antiquum, verum magnificis ædificiis, firmis propugnaculis, navibus inftructiffimis, mercatorum frequentia & rerum omnium affluentia emporium hodie longe celeberrimum. cinctum eft lateritiis muris, & firmis turribus; civefque illius opulentiffimi.

Cætera funt: *Sheafield*, ferrariis fabris celebre, & caftro firmo vetuftoque munitum. *Rotheram*. *Doncaster*, vetuftum oppidum. *Tickhill*, vetuftum oppidum; caftro fatis magno, fed fimplici mœnium ambitu, & mole edita, cui arx rotunda imponitur, munitum.

Halifax, olim *Horton*, oppidum celebre, in declivi collis ab occasu in ortum positum. *Wakefeldia*, re pannaria, sua magnitudine, ædificiorum elegantia, foro frequenti, & ponte inclyta. *Skipton*, inter montes latens; oppidum ædificiis nitidum, cum munito castello. *Leedes*, oppidum lanificio opulentum. *Pontfrait*, agro peramœno positum, ædificiis nitidis excultum, cum castro specioso & munitissimo. *Sherborn*, oppidulum frequens. *Otley*. *Wetherby*, oppidum mercatu insigne. *Rippley*. *Knarresbouroug*, rupi asperrimæ impositum. *Rippon*, templum habens splendidum, & olim lanificio clarum. *Burrovvbridge*, exiguum oppidulum, cum ponte saxeo eximio super Vrum strato. *Selby*, oppidulũ non infrequens. *Hovvden*, oppidum mercatorium. *Wightom*. *Beverley*, oppidum amplum & perfrequens. *Cottingham*. *Headon*. *Bridlinghton*. *Scarborough*, juxta in subjecto mari; captura halecum uberrima est. *Whitbye*. *Tarum*. *Stokesley*, emporiolum. *Gisboroug*, exiguum nunc oppidum. *Pickering*, oppidum colli affixum, & veteri castello munitum. *Kirckbymorside*, non infimæ sortis mercatus. *Malton*, forum frumento, equis, piscibus & instrumentis rusticis cele-

cis celebratum. *North-Alverton*. *Thrusk*.

Eboracensis agri pars, quæ solstitialem occasum spectat, *Richmond-Shire* appellatur, montosa ferè, & plumbo atque carbone fossili fœta. Cujus præcipua urbs *Richmondia*, exiguo mœnium ambitu inclusa, sed productis ad tres portas suburbiis satis frequens; cum castro munitissimo, quod ex alto Svvalam vasto cum murmure ruentem despicit. Reliqua oppida sunt: *Midleham*. aliaque ignobiliora.

DVNELMENSIS EPISCOPATVS.

DIœcesis hæc ad septentrionem à Northumbria Derventione fluvio dividitur; ad occidentem, Cumbriam & VVestmerlandiam attingit; ad ortũ oceano Germanico pulsatur. Ambitus illius CIII mill. pass. complectitur, triangulari fere forma. Oppida habet VI, Ecclesias C XVIII.

Metropolis, Dunelmus, vulgo *Durham*, situ æditiori & munitissimo, spatio tamen non magno, ovali quodammodo forma; *VViro* flumine ab omni præterquam à septentrione circumfunditur, & mœnibus firmatur: ad australem partem cathedralis Ecclesia

ſurgit turre conſpicua: in medio imponitur caſtrum quodammodo intermedium inter duos pontes è ſaxo, quibus fluvius hinc ad ortum, illinc ad occaſum conjungitur. habet & ſua ſuburbia cum ſingulis Eccleſiis.

Cætera oppida ſunt: *Bernard-Caſtle. Stayndrop. Darlington. Hartlepole*, emporium celebre, ſitu percommodo, & ſtatione fida. *Auckland*, editiori tumulo impoſitum; ubi pulcherrimæ Epiſcopi ædes & inſignis pons viſitur.

VVESTMORLANDIA.

Comitatus hic ab occaſu & borea Cumbria; ab auſtro Lancaſtria; ab ortu Eboracenſi agro & Dunelmenſi Epiſcopatu concluditur. Patet in longitudinem XXX milliaria: in latitudinem, ubi maxima eſt, XXIV. Ambitus CXII occupat. Oppida numerat IV: Eccleſias XXVI.

Primarium oppidum *Kendale*, mercatura & frequentia, lanificii quoque gloria celebre. Forma oblonga jacet ad Keni flu. ripam, qui tribus pontibus jungitur.

Reliqua ſunt: *Kirckby Stephen* & *Kirckby Landal*: *Appelby*, veteribus Aballaba, agro non inamœno ſitum,

&

& Isuno flu. circumfusum, ceterum infrequens.

CVMBRIA.

PRovincia hæc ab arcto Scotiam attingit, à qua Kirsopo flu. dividitur: ad ortum Northumbriam habet & VVestmorlandiam; ab occidente Hybernico mari alluitur. Oppida habet IX, Ecclesias LVIII.

Primaria hujus urbs *Carleolum*, peramœne inter Itunam, Peterillum, & Candum flu. sita; firmis mœnibus è saxo, castello, & citadella, quam vocant, munita. Forma illius oblongior ab occasu in ortum procurrens. Ad occidentem est castrum satis magno ambitu. In media fere urbe est templum Cathedrale.

Cætera sunt: *Ravenglas*. *Egremond*, colli impositum castrum. *Kesvvicke*, agro satis læto, & æraria sectura notum. *Cokermouth*, forum copiosum, oppidumque eleganti structura, sed humiliori situ inter duos colles; quorum alteri ecclesia, alteri castrum impositum est firmissimum. *VVirkinton*, salmonum captura nobile. *Ierby*, forum non minimum. *Penrith*, emporiolum celebre, ad occiduam plagam castro regio firmatum; templo satis pul-

chro ornatum. *Brampton*, tenuis mercatus.

NORTHVMBRIA.

PRovincia hæc Dervvento & Tina fluv. inclusus, ad meridiem Dunelmenses spectat; ad boream Scotiam; ad occasum Cumbriam : ad orientem oceano Germanico alluitur. triangulari & fere æquilatera forma est, ambituque suo CXLV milliaria complectitur. Oppida habet V: Castra XXVI: Ecclesias CCCCLX.

Præcipuum oppidum Novum castrum, vulgo *Neuvv-Castle*, opulentum & frequens; portum quippe habet nobilem, quem Tina efficit, ea profunditate ut maximas naves admittat: mœnia habet firmissima; templa quatuor; commercio carbonum fossilium florentissimum.

Cætera sunt: ***Hexam***, ad Tinæ ripam in editiori colle. *Morpit*, celebre oppidulum ad borealem VVentsbec fluv. ripam; cui castrum in umbroso colle adsidet. *Alnevvick*, castro egregio firmatum.

Bervvÿck, ultimum & munitissimum Angliæ oppidum, Tuedæ ostio impendens; & longius in mare porrigitur, ita ut mari & Tueda fere circumvalle-

valletur: Scotis olim extorta urbs, sæpiusque reddita, demumque sub Eduardo IV recuperata: ex quo ab Angliæ regibus, & præsertim Elisabetha, ita fuit permunita, ut facile omnes hostium minas contemnat.

VV A L L I A.

Tota illa pars Angliæ, quæ ad occasum vergens, & Hybernicum mare, fere Sabrina & Deva fluminibus à reliquo corpore, quod hactenus descripsimus, dividitur, olim Cambria dicebatur; hodie VVallia. Dividitur in duas partes, in borealem, & australem VValliam; & in duodecim Comitatus: licet unus, nimirum Monumethensis, ab Henrico VIII Parlamentaria authoritate Angliæ annexus, & à reliquo VValliæ corpore fuit divulsus.

PENBROCHIENSIS.

Comitatus hic extremum VValliæ Promontorium ad occidentem occupat; patetque in longitudinem mill. XXVI, in latitud. XX, ambitum XCIII. Dividitur in centurias VII. in quibus oppida V, Ecclesiæ CXLV. Portus habet longe optimos, inter quos excellunt Tendy & Milford, quorum

hic capacissimus est; quippe qui XVI recessus, quinque sinus, tredecimque navium stationes contineat, suis nominibus notas.

Non longe ab hoc portu sedet Provinciæ caput *Penbrochia*, mœnibus male sartis firmata, (& admodum infrequens,) quæ in ambitu ıↄ CCCLXXX pass. capiunt. ad occidentale latus castrum habet amplum aggere occlusum.

Proximum est oppidum *S. Davidis*, urbs æque infrequens, sylvis minime tecta, ideo procellis semper exposita. Cathedralem habet Ecclesiam admodum speciosam; juxta quam visitur Episcopi palatium, totum è vivo saxo constructum, sed male tectum, & perpluens.

Reliqua sunt: *Fishgard*, asperæ rupi affixum, cum statione satis opportuna. *Haverford vvest*, loco inæquali situm, elegantia & frequentia celebre. *Nevvport*. & *Tenby*.

CAERMARIDVNENSIS.

PRovincia hæc, vulgo *Caermarden-Shire*, ab occasu Penbrochia; ad septentrionem Ceretica, interfluente Tevio fluvio; ab ortu Glamorgania & Brechinia; ad austrum denique oceani

Hyber-

Hybernici brachio concluditur. Patet in longitudinem xxxv milliaria: in latitudinem xx. Ambitus illius est c i mill. passuum. Dividitur in vi centurias; in quibus sunt oppida vi, castra x, Ecclesiæ LXXXVII.

Comitatus caput Maridunum, vulgo *Caermarden*, urbs amœno situ, super Tovium fluvium, qui ponte stratus. in montis declivi castrum sedet; à cujus saxeo muro, alius coctilibus lateribus intermixtus totum oppidum cingit, cIↃ cccc pass. ambiens.

Reliqua oppida sunt: *Kidvvelly*, maris sinui adsidens; mœnibus septum, & castro, quod jam labascit. *Landilo*. *Laneithye*. *Langadoke*. & *Lanymthefry*.

GLAMORGANIA.

PRovincia hæc ad occasum Loghoro flu. à Carmaridunensibus separatur; ad arctum à Brechinia; ad ortum à Monumethensibus; ad austrum ab oceano concluditur. Patet ab ortu in occasum milliar. xl; ab arcto in austrum non omnino xx. Ambit cxii mill. passuum. Dividitur in x centurias: in quibus vi oppida; Ecclesiæ cxviii.

Primarium oppidum *Caerdiff*, urbs nitida, mœnibus & castro communita; præter-

præterlabitur Tavus fluvius, portumque aperit satis commodum. Mœnia in ambitu colligunt ↀ cccc xx passuum; munimentum autem secundum amnem alios ccc.

Reliqua sunt: *Landaff*, ad Taffum flumen; cum suo castro & Ecclesia Cathedrali; tenuis urbecula & humiliori situ. *Covvbridge*. *Neath*, Antonini Nidus. *Aberauon*, tenuis mercatus. *Svveinsey*.

MONVMETHENSIS COMITATVS.

Comitatus hic, Munovv fluv. ad septentrionem ab Herefordia; eodem & Vaga fluvio à Glocestria ad ortum separatur: ad occasum Renmero fluvio à Glomorgania: australe latus Sabriniano freto pulsatur. Patet inter arctum & austrum milliaria xxiv; inter ortum & occasum vix xix. Ambit lxxvii. Dividitur in vi Centurias: in quibus oppida iv, castra xiv, Ecclesiæ c xxvii.

Primaria urbs *Monmouth*, peramœno & opportuno situ inter Vagam & Monnovum fluvios incolis frequens; olim tota mœnibus cincta fuit, quorum adhuc pars superest.

Reliqua sunt: *Chepstovv*, oppidum clivo

livo à fluvio surgenti impositum, mœnibus magno ambitu inclusum; astrumque habet spatiosum fluvio imendens. *Abergevenny*, muris & castro munitum, antiquis Gobanium. *Uske*, Antonino Burrium, ad Birthin n Iscam confluentes. *Caerleon*, Antonino Isca, exiguum hodie oppidulum; ed ex illius ruinis crevit *Nevvport*, astro & portus opportunitate non gnotum.

BRECHINIA.

VUlgo *Brechnock-Shire*, ad boream à Radnoria Clarvveno & Vaga flu. discluditur; ad occasum Ceretícæ & Caermaridunensi agro prætenditur: ad austrum, Glamorgan; ad ortum Monumethensem & Radnoriensem agros vicinos habet. Longitudo illius XXVIII millia: latitudo XX. Ambitus C II mill. pass. complectitur. Dividitur in VI centurias: in quibus oppida III, Ecclesiæ LXI.

Caput Comitatus *Brechnochum*, structura elegans; mœnibus ovali forma septum, quæ IↃC XL pass. colligunt. Ad occidentem amplum & magnificum castrum adsidet, quod jam labascit. Positum est oppidum ad Houthyæ & Olcæ confluentes.

Reli-

Reliqua ſunt: *Haya*, peramœne inte Vagæ & Dulaſſi fluenta ſedens. *Buelth* ſatis frequens, ſitu amœnum & caſtro firmatum.

RADNORIA.

A Septentrione Monumethenſi agro; ab ortu Salopienſi & Herefordienſi continetur; ad auſtrum Elarvveno & Vaga flu. à Brechinia dividitur; ad occidentem Cereticam reſpicit. Ambitus illius xc mill. paſſuum. Dividitur in VI centurias: in quibus oppida IV, Eccleſiæ LII.

Primarium oppidum *Radnoria*, ſitu peramœno ſub colle poſitum; cui amplum & munitum caſtrum inſidet; à quo ad flumen uſque foſſa munitur.

Cætera ſunt: *Preſtaina*, egregia ſtructura, & incolis frequens. *Knightona*. & *Rachader-Govvy*, ad Vagæ cataractas.

CERETICA, ſive CARDIGANIA.

AD ſeptentrion. à Merionethenſibus Dovio flumine; ad ortum à Mongemerienſibus montibus; à Brechinienſibus Tovio flumine; ad auſtrum à Maridunenſibus Tivio flu. dividitur: ad occaſum Hibernico mari pulſatur. Ambi-

Ambitus CIII mill. pass. colligit. Dividitur in V centurias: in quibus oppida IV, Ecclesiæ LXIV.

Præcipuum oppidum *Cardigan*, acclivi aggeri insidens; ab austro Tuvio flu. prealto præcingitur, quod transitum omnino nullum, nisi per pontem sub ipso castro admittit. mœnia etiam assurgentium rupium ope editiora oppidum undiquaque cingunt IↃC LXXX. pass. ambitu. Castrum rupi insidet, amplum & speciosum olim, nunc vetustate deformatum.

Reliqua sunt: *Aberrystvvyth*, ad Tivii ostium copiosissimum totius Comitatus. *Llanbeder* & *Tregaron*.

MONTGOMERIENSIS COMITATVS.

AD boream Denbigiensi agro; ad ortum Salopiensi; ad austrum Radnoria & Ceretica; ad occasum Merionethensi circumscribitur. Dividitur in VII centurias: in quibus oppida VI, Ecclesiæ XLVII.

Totius conventus caput Mons Gomericus, urbs situ amœna, salubris, molliter acclivi rupi apposita: alteri autem colli insidet castrum elegans & munitum.

Reliqua sunt: *Llanfillyn*. *Lanydloes*. *Machen*

Machenleth, olim Maglona. *Nevvton.* & *Welsh poole.*

MERIONETHENSIS COMITATVS.

AD ſeptentrion. Caernarvoniam & Denbigiam attingit ; ad ortum Mongomeriam. ad auſtrum Dovio à Ceretica dividitur : ad occidentem oceano lavatur. Dividitur in VI centurias: in quibus oppida III, Eccleſiæ XXXVII.

Oppida ſunt: *Harlech*, ad occiduum provinciæ latus mariſque littus, patenti & ventis expoſito loco ſitum, nec elegans nec frequens. Caſtrum tamen adſidet firmiſſimum ac pulcherrimum, edito colli impoſitum, & duplici vallo ſeptum ; quod jam ruinam minatur. *Dolgeſtre.* & *Bala.*

DENBIGHIA.

AD boream oceano & Flintenſi agro; ad occaſum Caernarvonia & Merioneth; ad ortum Ceſtria & Salopia; ad auſtrum Montgomeria terminatur. Ambitus CXIV mill. paſſuum. Dividitur in XII centurias: in quibus oppida III, Eccleſiæ LVII.

Primarium oppidum *Denbigia*, pendenti rupi affixa; non magno ſed valido

lido mœnium ambitu, & ad auſtralem partem turrito caſtello munita: ſed oppidum hoc ob ſitus incommoditatem fere deſertum, & novum ſub ipſa rupe ſurrexit, quod hodie frequentiſſimum, ſed nullis mœnibus ſeptum.

Reliqua ſunt: *VVrexham*, in regiuncula plumbi ferace, turre elegantiſſima conſpicuum. & *Ruthin* ad Cluidæ orientalem ripam ædificiis & incolis frequens.

FLINTENSIS COM.

AD ortum Ceſtria; ad boream Vergivio mari; ad occaſum Denbigia; ad auſtrum Salopia terminatur. Dividitur in v centurias: in quibus tantum unicum oppidum mercatorium; caſtella VII; Eccleſiæ XXVIII.

Oppidum id *Caervvick*, quod neque vetuſtum neque elegans. Inter caſtra præeminent *Flint*, *Harvvarden*, *Ruthlan*, *Moli*, *Tovvley*, &c.

CAERNARVONIENSIS COMITATVS.

A Septentrion. & occaſu Hibernico mari; ad auſtrum Mervinia; ad ortum Denbighia concluditur. Ambitus illius eſt cx mill. paſſuum. Oppida habet v, Eccleſias LXVIII.

Præcipuum oppidum *Caernarvon*, pulcherrimo ad mare proſpectu; orbiculari caſtri mœnium ambitu continetur, quod totum occidentale latus occupat. Ab oceano quotidie arroditur.

Cætera ſunt: *Bangor*, oppidulum tenue, ſed Epiſcopalis ſedes. *Aberconvvy*, ad Connovii flu. oſtium, tam mœnibus quam caſtro firmatum. *Nevvyn*, villa mercatoria. & *Pulhely*, ad interiorem maris ſinum.

De Inſulis adjacentibus.

MONA, vel MANNIA.

VVlgo *the Ile of Man*. Ad ſeptentrion. Scotiam ſpectat; ab auſtro alteram Monam, vulgo Angleſey; ab occaſu Hiberniam; ab ortu Lancaſtriam. Ambitus illius colligit LXXXII mill. paſſuum. Longa XXIX; lata vix IX mill. paſſuum. Dividitur in duas partes, auſtralem & borealem: in quibus oppida V, Parœciæ XVII.

Inter oppida præcipuum cenſetur *Ruſſin* ad auſtrale latus ſitum, ubi ſedes Epiſcopi Sodorenſis. Frequentiſſimum *Duglas*, ob portum optimum & aditu facilem. Cætera ſunt: *Laxitovvne*, *Peeltovvne*, & *Ramſey*.

INSVLA SACRA.

ANglis *Holy-Iland.* Ab occidente & austro Northumbriam ſpectat; ad euro-auſtrum Farne inſulam. circuitus illius haud ita magnus. Vnicum tantum habet oppidulum, cum portu non incommodo.

FARNE.

NOrthumbriæ quoque obtenſa; in ambitu XV mill. paſſ. colligens. Paucas habet ædes, oppidum nullum.

MONA ſive ANGLESEYA.

INſula anguſto freto ſeu flum. Menaï à Caernarvonia diviſa, cætera Hibernico mari pulſatur. Ambitus illius LXX plus minus mill. paſſ. continet. Dividitur in VI centurias: in quibus II oppida, & Eccleſiæ LXXIV.

Primarium oppidum *Bellus Mariſcus*, ad orientalem illius partem, amœno ſitu, licet paluſtri loco; caſtro ſpecioſo munitum.

Secundum Nevvburg, ad occaſum jacet, ab arenis multum damni patitur.

CÆSAREA ſive IERSEIA.

NOrmanniæ adjacet verſus auſtrum, ambitu capiens XXXVIII milliaria; ovali fere forma. Peramœna in-

ſula, variis frugibus & pecore abundans. Duodecim numerat parœcias, & quatuor caſtella. Commodas habet ſtationes, inter quas ſecuriſſima eſt in auſtrali inſulæ parte inter oppidula S. Hilarii & S. Albani.

SARNIA ſive GARNSEYA.

Hæc xx milliar. à Cæſarea abeſt verſus occaſum æſtivum, alteri nec magnitudine nec bonitate æquanda: x quidem tantum numerat parœcias; portus tamen commoditate alterâ longe eſt celebrior, mercatorumque commerciis frequentior. Atque hæ duæ inſulæ ſolæ Regi Angliæ è Ducatu Normanniæ reliquæ.

VECTA.

Vulgo *VVight.* Inſula Southantonienſi Comitatui ex adverſo objacet, exiguo freto ab illo diviſa, ita ut quondam continens fuiſſe videatur. Figura pene ovalis. Patet in longitudinem xx mill. paſſuum: in latitudinem xii. Ambitus LX plus minus. Oppida hic tria; Eccleſiæ xxxvi.

Primarium oppidum *Novus portus;* opportuno loco ſitum; & habitatoribus frequens. Cætera ſunt: *Sandon*, & *Yarmouth*.

II. COE-

II.

COELI SOLIQVE RATIO in genere atque in ſingulis provinciis.

CAmden. Qui cœli ſpacia terræ tractibus accuratius compararunt, Britanniam octavo Climati ſubjecerunt, parallelis decimo octavo & viceſimo ſexto incluſerunt. Diem maximum horarum æquinoctialium XVIII cum ſemiſſe putant. At Belerium in convexo terræ ſitu ſub ultimo occidente XVI temporibus, L ſcrupulis; Cantium XXI temporibus ſecundum longitudinem deſcribunt. Latitudinem in auſtrali ora L gradibus, X ſcrupulis. Tarviſium LIX gradibus, XL ſcrupulis metiuntur. Vſque adeo ut hic ſitus Britanniam definiat cœlo & ſolo juxta feliciſſimo & mitiſſimo. Cœlum ita mite & temperatum eſt, ut æſtates minus fervidæ ſint. calores enim mitigant perennes auræ, quæ cum terræ naſcentia recreant, tum homini pecorique ſaluberrime & jucundiſſime adblandiuntur: & hyemes ſunt clementiſſimæ; frigoris etenim vim (ut taceam aërem craſſiuſculum) frequentes & ſedatæ pluviæ

ita dissolvunt, mareque circumfusum ita moderato tepore terram fovet, ut multo remissius sit apud nos frigus quam in nonnullis Galliæ & Italiæ regionibus. Solum ab omni frugum genere ita beatum, ut Cereris sedem fuisse dixerit Orpheus, & occidentalis imperii quasi horreum & cella penuaria fuerit. Atque hæc in genere dicta sunto. Singularum provinciarum dotes nunc prosequemur.

Cantiana provincia (inquit *Camden.*) est inæqualis. ad occasum planior & sylvis umbrosa; ad ortum, collibus molliter surgentibus excelsior. Incolæ, qua à Tamisi ad austrum patet, in tres areas sive portiones (gradus vocant) distinguunt. quarum superiorem ad Tamisim salubrem sed minus opulentam esse ferunt; mediam & salubrem & opulentam: inferiorem vero opulentam sed insalubrem, utpote quæ maxima parte sit uliginosa (*Rumney marsh* vulgo) sed luxurianti gramine lætissima. Pratis tamen, pascuis, arvisque ubique fere læta, pomis ad miraculum abundans, nec non cerasis. Villas & oppida habet frequentissima, stationes satis tutas, ferri venas nonnullas, sed aërem crassiusculum ob halitus ex aquis evaporantes.

Susse-

Suſſexiæ cœlum ſalubre, quamvis aliquatenus caliginoſum, ob nebulas aſcendentes è vicino ab auſtro mari; quod prodiga ſatis manu tam piſces quam volucres marinas illi porrigit: parcius vero vel portus excipiendis vel ſtationes continendis navibus ſubminiſtrat; quaſque exhibet, non minus inconſtantes & incertas ſitu, quam periculoſas acceſſu. Solum pingue & fœcundum, magnam abunde rerum omnium copiam ad humanos uſus profundens; idem tamen viatoribus incommodum, præſertim hibernis menſibus, ob altum cœnum. Fert frumentum, pecudes, ſylvas cæduas. ferrum non ejuſdem ubique bonitatis, in univerſum tamen minus tenax, quam Hiſpanicum.

In Surria aura gratiſſime ſuaviſſimeque ſpirat; ager refertior feris & vivariis, quam ſegetibus, licet qua ad Tamiſim pertingit & ſegetibus & paſcuis abundet.

Hantoniæ aër temperatus, ſed craſſior ob vicinum mare & multitudinem fluviorum: ſolum frugibus & pecore abundans; paſcuorum amœnitate lætum, ſylvarumque denſitate amœnum. Commoda quæ paſſim ex hoc agro percipiuntur, conſtant è lana, pannis

& ferro: panni illi vulgo Kerſeiæ dicuntur, & magnum quæſtum provincialibus miniſtrant.

Dorſettiæ aër laudabili & ſalubri eſt temperie: gleba ſatis pinguis plurimas commoditates præbet, totuſque adeo ager ſedet amœniſſime: Interior enim tractus multis perennibus fontibus rigatur, qui per convalles delapſi tandem in unum ſe colligunt & mare petunt. Commoda hujus agri ſunt lanæ atque ſylvæ: Mare vero Iſidis plocamon, fruticem marinum ſine foliis, corallio non abſimilem, profundit.

Devoniæ cœlum ſubtilius, ſalubre tamen: ſolum montoſum, ſylvis veſtitum & frugiferum; modo nec ruſtici opera deſit, nec ſumtibus parcatur; præſertim in partibus remotioribus à mari; unde multo cum labore nec minori impenſa arenam petunt, quæ ſuperficiei terræ inſperſa, ad fœcunditatem efficax eſt, & glebis quaſi animam infundit. Commoditates hujus provinciæ è lanis & lanificio conſtant. Hic enim optimæ ſubtiliſſimæque texturæ, quas Kerſeias vocant, conficiuntur. Magnetes è rupibus ſuper Dartmore effodi ferunt.

Cornubiæ aër, reciprocis fluctibus tan-

tanquam follibus ab ambiente eam æquore assiduo æstuantibus perpurgatur, unde adeo purus subtilisque fit ut salutaris admodum evadat; acrior tamen & penetrantior est, ita ut aptior sit ad conservandam quam recuperandam valetudinem. Adventus veris tardior quidem quam in regionibus magis ad ortum spectantibus, sed æstas temperato suo calore tarditatem illam in fovendis terræ frugibus apprime tempestiva illarum maturitate compensat. Hyems longe quam alibi minor. Cæterum ventis procellisque valde obnoxia est regio. Solum fere crebris montibus attollitur, angustis brevibusque vallibus distinctum; quarum superficies tenui gleba operitur; quam marina alga (*orevvood* vulgo) & feraci quadam arena, incolæ supra quam credi possit pinguem fæcundamque efficiunt. Divitiæ vero multo majores ex æris stannique fodinis eruuntur: quippe cum hæc regio prima sit quæ has opes aperuerit. Commoditates hujus provinciæ terra mariq; variæ.nam præter alios pisces, pisciculi quos *Pilchards* vocant, immensa copia hic capiuntur: aëris stannique metalla jam diximus: etiam aurum & argentum; imo & adamantes in cautibus repe-

riuntur. Opulentus præterea ager frumento & pecore.

Somersettensis provinciæ aura lenis & delectabilis æstivis mensibus; hibernis pluviosa; unde terra hyeme ita cœnosa & uliginosa, ut viæ admodum difficiles sint & impeditæ: Solum tamen admodum fæcundum; undique pascuis & pratis renidens: unde pecore frumentoque abundat: nonnullis locis & plumbi venis scatet: & adamantes fundit prope Bristoliam, sed minimi pretii.

VViltoniæ aër dulcis, jucundus, & salubris; solum omnium rerum copia egregie fertile.

Bercheriæ cœlum satis temperatum, suave & amœnum; solum frumenti ferax; &, ut compendio dicam, provincia hæc nulli, frumento, pecore, aquis, sylvisque concedit: orientalis tamen illius pars minus laudatæ fæcunditatis.

Middlesexia summa est cœli temperie, solo abunde fertili; pascuis & frugum bonitate adeo dives, ut triticum hinc proveniens potissimum regiæ mensæ inserviat.

Essexiæ cœlum temperatum & amabile: solum pingue & fæcundum; nonnullibi tamen siccum & sterile. Commoda

moda quæ ex hoc Comitatu proveniunt, multa magnaque sunt; sylvarum, frugum, pecorum, croci; cujus ad septentrionalem tractum magnus est & quæstuosus proventus. Ostrea ad illius oram optimæ notæ. Casei inprimis celebrantur.

Suffolciæ cœlum salubre & jucundum: solum dives & ferax, omnibus rebus abundans. Quæstus incolarum existit è frugum copia, pecore, lanificio, pascuis, sylvis: casei hic item laudatissimi conficiuntur.

Norfolciæ aër subtilior paulo & asperior, præsertim ad mare & in campestri regione; hinc veris & messis adventus serior. Solum pro ratione locorum varium, sub oppidis fere lætum & ferax; aquis satis irriguum & sylvosum; superius ad ericeta nudum, aridum & sterile. *Marshlandia* & *Fleg* supra modum opulenta: illa quidem pascuis, hæc frumento fælicior.

Cantabrigiensis provincię aër minus laudabilis: quippe qui à vicinis paludibus inficiatur. Solum varium, palustreque: australe tamen campestre & frumenti ferax: mediam intersecat Camus fluvius, ad utramque ripam pratis & pascuis vestitus. Commoda hujus provinciæ sunt frumentum & crocus.

Hert-

Hertfordiæ cœlum temperatum & salubre: solum pingue, frumenti ferax, pecorumque dives, nulliusque rei ad vitam necessariæ indigum.

Bedfordia fere tota campestris est; cœlum benignum; solum satis ferax, præsertim qua Vsa irrigatur.

Buckingamia cœlo gaudet præstantissimo; solo divite, pingui & feraci, frumentum, gramen & margam seu cretam abunde proferente. Chilterni collibus media dividitur. Innumeros ovium greges alit, quarum vellera mollia & tenuissima.

Oxoniensis ager omnibus numeris absolutus, tam cœli temperie quam soli feracitate atque amœnitate.

Glocestrensis aër suavis & salutaris: solum fœcundissimum & omnium frugum feracissimum, adeo ut olim hic vineta extitisse memorent, & Malmesburiense vinum hujus provinciæ Gallico comparent. Commoda hujus provinciæ, fruges, ferrum, vellera.

Herefordia, cœlo saluberrimo; solo frugibus & pecoribus ita fertili, ut nulli Angliæ parti concedat.

VVigorniæ, cœli temperies grata & propitia: solum ita fertile ut nulli Angliæ parti concedat, Pirorum hic maximus proventus, è quibus *Pyrry* potum

ùm conficiunt, gustu jucundum & salubrem. Multos salsos fontes habet.

VVarvvicensis Comitatus gaudet optimo juxta cœlo atque solo, nullus rei indigus. Commoda agri partim frumenta: partim lanæ optimæ: quibus accedit & ferrum.

Northantoniæ cœlum salubre; solum dives & fertile, & pascuis dives. præcipuæ illius divitiæ fruges.

Huntingdonia sementi satis apta, pascendo pecori ad ortum, ubi paluſtris eſt, maxime idonea.

Rutlandiæ cœlum salubre, solum frumento dives, nec pecori inidoneum.

Leiceſtriæ aër lenis, salubrisque; solum partim campeſtre, partim frumentarium; sylvarum indigens, qui defectus carbon^ foſſili ſuppletur.

Lincolnienſis provinciæ aër in orientali & auſtrali tractu craſſior & nebulosus; alibi temperatus & gratus. Solum ad occaſum & aquilonem uberrimum; paſcuis, arvis & pratis undique diſtinctum: ad ortum vero paludoſum & ſalſum, frugibus ferendis ineptum.

Darbienſis aër benignus & ſalubris. Solum opimum, præſertim in orientali & auſtrali partibus: ad aquilonem & occaſum in montes aſſurgit. Præcipuæ com-

commoditates fruges & pecudes; molares lapides, & plumbum.

Staffordia cœlo fruitur perſalubri; licet in boreali plaga aër ſit ſubtilior & acrior, ventique frigidiores. Solum ad ſeptentriones ſterilius, in medio ſylvoſum, ad auſtrum frugibus & paſcuis lætiſſimum. Præcipuæ commoditates è frumento, pecore, & ferro.

Salopia cœlo fruitur ſalubri; terra illius dives, tritici & hordei abunde ferax: Sabrina irrigatur.

Ceſtria cœli ſolique ratione cum optimis provinciis comparari poteſt. aër optimus & ſaluberrimus: ſolum pingue, ferax & amœnũ. præſtantiſſimi hic caſei cõficiuntur. Commoda illius conſtãt è farre, pecore, ſalinis, metallisque.

Lancaſtriæ aër ſubtilior, & ſalubris: ſolum non admodum frugiferum, ſed boum prægrandium copia nobile.

Eboracenſis provinciæ aër temperatus; ſolum mediocriter fertile, frumenti, pecorumque, quantum ſatis eſt, ſuppeditans.

Dunelmenſis diœceſeos aër acrior & penetrans; ſolum varium; orientalis pars campeſtris; auſtralis montoſa; verſus occidentem petroſum eſt ſolum, re pecuaria tamen & carbone foſſili incolis quæſtuoſum.

VVeſt-

VVestmorlandiæ aër subtilis & penetrans; neque insalubris. Solum maxima ex parte sterile, nonnullibi tamen satis ferax.

Cumbriæ aër subtilis & penetrantior. terra metallis opulenta, præsertim cupro, & plumbo nigro: insignes enim in hac provincia æris fodinæ, non sine auro & argento.

Northumbriæ aër subtilis; terra neutiquam dives, cum neque gleba segetum ferax sit, nec solum pecori alendo idoneum: maximæ illius divitiæ sunt carbones fossiles, quorum immensa hic copia.

VV A L L I A.

PEnbrochensis provincia, optima aëris temperie, frugibus ferax & pecore dives.

Caermardunensis aër salubris & amœnus; solum frugibus & pascuis lætum.

Glamorganiæ cœlum temperatum, solum maxima ex parte montosum; ubi vero subsidet, satis frugiferum.

Monumethensis provinciæ cœlum temperatum & salubre; solum montosum & sylvósum, ubique tamen fœcundum.

Raduonæ aër subtilis & frigidior; terra

terra jejuna, non tamen omnino ſterilis.

Cardinganiæ cœlum frigidiuſculum; ſolum aſperum & inæquale: quæſtus incolis è pecuaria; habet & plumbi venas.

Merioneth aſperrima eſt regio, nec cœlo jucundo, nec ſolo fœcundo; incolæ pecuariam exercent.

Denbigiæ aër ſalubris: ſolum verſus occaſum ſterile; in medio, qua ſubſidet, fœcundiſſimum; ad occidentem montibus aſpera eſt, licet agricolarum induſtria non inculta.

Flintenſis aër ſalubris, ſed frigidior; ſolum frumenti & graminis ferax; regio pecorum dives.

Caernarvoniæ aër acris & penetrantior; ſolum fere infœcundum, & montibus editum.

Ioh. Barcl. Anglia felicibus paſcuis & ad multas, variaſq; arbores commoda humo, commeantium oculos pulcherrima viriditate mulcet; gratuitis etiam bonis plebis animos in ſegniciem exolvens. Pabulum illic paſſim pinguibus campis abundat, boum equorumque armenta ad perpetuam ejuſmodi animalium aviditatem explens; albi autem ſiccioribus arvis, & humili gramine induentibus terram, ſupra fidem

multos

multos greges educat; excuſatque utiliſſimam & ad ovilia factam ſterilitatem. Ne hyemis quidem rigor aſſueta libero aëri pecora (niſi forte ſupra morem inhorruerit) in ſtabula aut ovilia deducit. Iis ſufficere ſolent nuda ſub dio cubilia, herbæque quas hybernus tepor alit. Quippe hyemes non illic pro plaga & Septentrionis vicinia aſperæ, cum vehementer Gallicam oram quatiant, qua Britanniæ adverſa eſt, multoque rigidius Batavorum cœlo incubent. In tanta aëris indulgentia Britannicus ager omnis generis ſemina facile concipit, atque ſervat; Proceras habet lauros: Roriſmarini planta apud multas gentes ipſa cura qua educatur precioſa, hîc vulgaris, & nonnunquam in ſepes velut ad hortorum cuſtodiam ſtipata. Vitem alere poteſt, uvaſque ad maturitatem perducere. Nam & Cantii amœnitas crebro collium dorſo ſuſpenſa, & VVintonienſis regio, cum cæteris ad Meridiem Ortumve ſpectantibus, olim vineta habuere, quæ deinde paſcuorum utilitas, viliuſque redemptum ex Aquitania vinum, exemit. Lupi quoque ea inſulæ parte exacti, nudos greges, & vix alicui moloſſo creditos, non infeſtant. Nam diligentia antiquorum, cum graſſaretur luporum rabies,

curamque paſtorum aut fatigaret aut falleret, totum in iis ſedibus tam pervicacis feræ genus extinxit. Ita fortuna per patientiam pecorum ſub dio durantium, & mirabile luporum exitium, profuſas nec æſtimatas opes videtur indulſiſſe. Cibo, corio, vellere, velut exudantis terræ muneribus, populus in ocio, & plerumque oblivione laboris, diteſcit. Ne quidem in colendo croco labor, quem optimum habent; facili herba oblatas in floribus opes non in ullius curæ aut induſtriæ præmium aperiente.

III.

DE MORIBVS INCOLArum tam in communi quam particulari.

IOhan. Barcl. Anglis ut plurimum gravis animus, & in ſe velut ad conſilium ſeductus; ſeipſos, & ſuæ gentis mores, ingenia, animos, eximie mirantur: Dum ſalutant, aut ſcribunt, deſcendere ad verba imaginariæ ſervitutis quæ iſtorum ſeculorum blandicies invenit, niſi forte externis moribus imbuti, non ſuſtinent. Populus rei maritimæ ſtudioſus, neque aliud tantæ inſulæ validius

dius munimentum quam tot nautarum ſedulitas. Nec in caſtris quam navibus pejor miles, præſertim ſi externo aëri aſſuevit, cibiſque, quos ſæpe inexpertos avidius Angli guſtant. Nam hæc gulæ incommoda à Britannia delatas legiones non ſemel abſumſerunt, & claſſem Elizabethæ Reginæ auſpiciis Luſitaniæ littoribus applicitam, cum Angli ſtragem hoſtium & vaſtitatem feciſſent, nimius æſtus, & ſuavitas pomorum, ac baccharum, quas illa plaga habet, pene totam debellavit. Diſcrimina omnia, & adeo mortem, impetu plus quam judicio ſpernunt: Et hinc utiliſſimos militum dixeris, ubi ducum ſuorum conſilio reguntur: Sua autem ſponte ruentes, & illa audaciæ caligine pleni, de ſe ſæpius poſt funeſtos exitus queri, quam de fortuna debuerunt. In Belgio, cum ſtudia partium nuper & arma ſævirent, milites Hiſpanicarum partium aliquot à Batavis capti erant, & ſuſpendio conficiendi; (ita viſum referre vicem hoſti, qui captivos eodem lethi genere perdiderat) ſed in omnes ſævire non placuit. Ex quatuor & viginti (tot enim capti erant) octo ad laqueum deſtinantur, cæteris incolumitas promiſſa eſt. demiſſæ igitur in caſſidem ſortes, juſſique ſinguli ſuum fa-

tum extrahere; qui tesseram sustulisset nulla nota insignem, periculum effugeret; qui ferali imagine impressam, statim ab infelici arbore penderet. Omnium mentibus ingens periculi imago inerrabat: quidam præcipue Hispanus votis lachrimisque misericordiam plurimorum, etiam aliquorum risum elicuit. Erat in illa sorte ac periculo Anglus è militum vulgo, qui ingenti vitæ neglectu accessit ad cassidem, & tesseram nil cunctatus adduxit. favit sors; erat illa salutaris. Exemptus periculo accedit ad Hispanum, adhuc fatali cassidi manum credere dubitantem; decemque aureis pactus, (fides Numinis!) Iudices rogat, ut Hispano extra aleam misso sibi iterum liceat fortunam experiri. Furioso, vitamque tantulis nummis æstimanti, Iudices annuerunt: & is rursus felici tessera evasit; non hac gemina modo, sed & simplici salute indignus, quam adeo vilem habuerat.

Leges quibus utuntur Angli, Gallica lingua, sed veteri, & ab hoc seculo abhorrente, ii tradiderunt, quos Normannia ad eorum sceptrum transmisit. Paucæ illæ etiam, & plerumque ambiguæ. De cætero consuetudo, & consulta sapientum, sufficiunt magno aditu ad lites, & infinitam judicum pote-

poteſtatem. & arcanum populi ingenium tanquam Neuſtricæ originis & habitus retinens, ad ſubtilitates apertum eſt, quæ litibus forum implent. Et inde vulgatam fabulam crediderim, ineſſe Anglis caudas.

Conſuetudinum autem ac legum, quæcunque à majoribus inoleverunt, adeo patientes ſunt, ut jam olim ſancitas, rudi adhuc tam peccantium vitio quam legum ſanctitate, etiamnunc mutare aut delere, religio illis ſit. Vnde enim, niſi ab hac majorum incauta bonitate, lex viget, ut maritus jubeatur prolem agnoſcere, hæredemque habere, anno poſt aut amplius natam, quam ipſe ultimo ab uxore diſceſſerit; modo conſtet interim à Britannicis littoribus, in exteras regiones non evectum?

In Philoſophia autem, ac Matheſi, terrarumque & Aſtrorum ſcientiis, nulla eſt tam prodigioſa ſententia, quæ non ex hac regione authores invenerit, vel turbam amatorum, vividam quidem, ſed modum curioſæ ſubtilitati, & per innumeras diſputationes effuſæ, non invenientem. Terram circumagi, non cœlum; Solem cum ſyderum lata ſerie non inhærere cæleſtibus globis; ſed & globos ejuſmodi nuſquam eſſe; & quicquid Philoſophi deli-

raverunt, multi ex his opinantur, aut credere ſimulant; tanquam altius ſupraque vulgi ingenium ſpiraturi, ſi videantur communem ſapientiam ut prophanam vilemque negligere; altius in arcana Naturæ, quæ pauci deprehenderunt, intuentes.

Sed ut nihil animos magis agit, quam religionis ſenſus; ita multo acrius ejuſmodi diſputationibus incumbunt. Nec quicquam in Numinis cultu modicum poſſunt, qualemcunque ſibi ſpeciem pietatis perſuaſerint. Prioribus ſeculis aucti opibus homines, in ſolitudinem & eremum jurantes; adeo ut opima pars regni, fundorumque, huic pietati conceſſerit; nimis timido & periculoſo voto, tam illorum qui dabant, quam eorum quibus hæc ipſa concedebantur; cum illi pene rempublicam exhaurirent, iſti autem in luxum ſe agi tantæ fortunæ vitio ſinerent, mox in invidiam ſecum quoque Sacra tracturi. Et hanc quidem colendi Numinis rationem jam Anglia publice ejuravit, multi autem ſic in contrarium divertere, ut quo longius à veſtigiis patrum abſunt, eo ſe propiores cœlo credant. Nec id tamen publico conſilio, aut ſi deprehendi contigerit, palam inulto; ſed eluſis per privatas ſuper-

superstitiones animis, novamque, ac propriam, & per hoc sibi gratiorem pietatem fingentibus. Itaque quos hæc cæpit superba suavitas præter cæteros sapiendi, in varia nomina abierunt, legesque diversas, non ipsa hominum authoritate, aut numero, sed pertinacia sancitas. & quod miserabili risu dignissimum putes; crudelibus edictis illæ sectæ invicem sæviunt; unos se cœlestium rerum participes; exortes cæteros omnes esse. Forte in unam superstitionem consenserat cum duobus liberis pater, è plebe vir, sive vulgus intra opum, aut ingeniorum, humilitatem æstimes. Illi tres unam rempublicam sectamque faciebant. (& sæpe non pluribus hæ religiones constant.) Tandem pervicacius inter se de divina re agentibus, decessit primum à filiis pater, non quod meliora sentiret, sed diversa; & ab illis de communione sanctorum (nam sic nugatores dicebant) ejectus est. Porro sancti non his alii præter seipsos erant. Mox autem & discissis mentibus alter fratrum alterum à cœlesti consortio exclusit. Sic de angusta ecclesia, & trium hominum numero definita, tres quoque ecclesiæ natæ sunt; prodigioso scelere, & in amentiam prono. Nec perfunctorie vesani

pro somniis suis pugnant. Novæ in dies sectæ rapiuntur ad tribunal, in quibus nihil simile præter unam contumaciam Iudices vident. Fæda, indigna hominibus sentiunt. Non ullius præeunte vestigio errantes, sibi quid credant authores sunt: non tormenta perhorrescunt; non salubribus consiliis aut prudentiæ acquiescentes, igne quoque consumpti, seipsis furori suo litant.

Iam vero peregrinis cum hoc populo agentibus ingens cautio esse debet, ne ex paucis, ac fortasse plebeiis, totam gentem æstiment. sed neque una instituenda est ratio qua mores tam diversos excipiant. Ferox vulgus ubi vino aut ira incaluit, nonnunquam superbiam tumoremque in hospitum injuriam vertit: In tanto turbine animorum eos per æmulæ superbiæ contumaciam lacessere velle, paulo aliquid supra dementiæ malum esset. Ne tunc quidem tempestivum est tuam causam fidenter orare, in sævo ægroque tumultu; multo minus magnitudinem animi ostentare defensionem meditantis. Leni & placido questu melius exarmaveris irruentes: nec ignobiles preces erunt, quibus primum æstum mitigabis in furorem euntium. Nam hic torrens

torrens si nullo obice irritetur, momẽto languebit. Et hæc quidem timidæ prudentiæ cautio adhibenda, ubi in oppidis agrisve multitudo in advocationem eorum qui in te primi desæviunt, aut concurrit, aut timeri certe potest. In solitudine autem, & ubicunque non impari certamine potes ingruentes refutare, tunc exerenda est, saltem ad speciem, vis animi contumelias non ferentis; qua terrebis non vera virtute insultantes, & injuriam pati tam idoneos quam inferre. Magistratus porro, ac judices, peregrinorum questibus faciles, haud inultam popularium in illos injuriam ire sinent; Si modo non peccaverit multitudo, quam accusari pronum, plecti autem ubique difficile, &, ut plurimum, nefas. Et adeo hospitalia tribunalia in ea gente erecta sunt, ut sive externus actor sit, faventes judices habeat, sive uno crimine cum indigena reus, cive ad virgas furcamve destinato, ipse interdum nihil acerbius jubeatur quam è Britannia excedere. Patriciis quoque animus ad excipiendos peregrinos sponte factus; & famam illius comitatis cum honesto ambitu quærunt; ut neminem possit peregrinationis Britannicæ pœnitere, nisi aversis incultis-

que moribus in barbariem natum, aut indignum qui Optimatum consortio misceatur. Cum his tamen qui sui fastigii gravem cultum ipso gestu atque verbis magnifice adornant, ex adverso componendus est gradus ad certamen majestatis, ne te forte aut ex sua gravitate, aut ex tua oratione æstiment; quæ non Italicæ, Gallicæve humilitatis more, demittenda est. Evilesces alioquin apud homines non assuetos huic generi humanitatis per alternas blanditias mentientis.

Idem. Sed nec plebis superbia acerbior peregrinis quam in patricios suæ gentis exerta est; qui opulentiam suæ patriæ luunt rusticorum fastidio seipsos pene primis ordinibus stirpibusque æquantium, & indignationis suæ tam preciosam causam odisse interdum non verentur. Summa tamen apud omnes nobilitatis reverentia quam intra brevem eorum numerum æstimant quos Dominos vocant. H sunt Duces, Marchiones, Comites, & Barones: Ducum & Marchionum omnes liberi, ex Comitũ filiis major natu illis quoque Episcopos Majorum pieta adjunxit. Apud hos proceres ad omni obsequia descendere non indignum; & ipsi velut in terram positos contem plan

lantes, suum fastigium non ignorant. Nec illæ dignitates emptionis cõmercio producuntur in vulgus, nummorumque fortunam: sed successionis serie transeunt in hæredem; vel beneficio Regis novi quoque Optimates in hos gradus adoptantur. Et ne hoc inane existimes decus: multa publice constituta tam ambitioso nomini reverentiam cultumque conciliant. Si contigerit æri alieno impares esse, urgentibus creditoribus in eorum corpora nullum jus esse potest; quamquam in Anglia debitores etiam in judicium non vocatos sæpe carcer accipiat. Sed hoc illustrius, quod maximorum criminum accusati, scilicet in ipsam rempublicam iniisse consilia, de equuleo securi sunt. Veritatem ab iis per tormenta posse exprimi noluere, qui leges condiderunt.

Wilhelmus Lambard. in Cantii lustratione. Accusanda omnino est vetus ἀξενία vel potius μιςοξενία, id est, inveterata ferocitas & crudelitas Anglicę nationis erga advenas & peregrinos.

Idem. Operæpretium foret in memoriam revocare quas tragœdias in hoc regno ediderit naturalis hæc nostra inhospitalitas, & peregrinorum odium atque contemtus, tam sub re-

gno

gno Iohannis, Henrici, Eduardi secundi, Henrici VI, quam nuper: ut deinceps infamiam hanc diluamus, & præsertim jam melioris religionis radiis illustrati nos erga advenas geramus humanius, ut Iovem Hospitalem propicium habeamus.

Cantii incolis *(inquit Camden.)* ea humanitatis laus, quam Cæsar olim tribuit, etiamnum jure debetur; ut virtutem bellicam taceam, quam tantam in Cantianis fuisse monachus quidam scripsit, ut in procinctu, exercitus frons illis tanquam triariis merito inter Anglos debeatur. Quod etiam comprobat in suo Polycratico Ioan. Sarisburiensis: Ob egregie (inquit) virtutis meritum, quam potenter & patienter contra Danos exercuit Cantium nostrum, primæ cohortis honorem & primos congressus hostium, usque in hodiernum diem in omnibus prœliis obtinet. Iidem Guilielmo Normanno ea lege se dediderunt, ut patrias consuetudines illæsas retinerent, illamque inprimis quam *Gavelkind* nominant. Hac terræ, quæ eo nomine censentur, liberis masculis ex æquis partibus dividuntur, vel fœminis si masculi non fuerint. Hac hæreditatem, cum XV annum attigerint, adeunt, & sine domini

mini conſenſu cuilibet vel dando vel vendendo alienare licet. Hac filii parẽtibus furti damnatis in id genus fundis ſuccedunt, &c. Hac maritus uxoris decedentis, ſive liberos ex ea ſuſceperit ſive non, terras hujus generis accipit ex ſemiſſe quandiu manet innuptus: Itemque uxor mariti decedentis, quandiu manet innupta, & honeſte ſe gerit; nam ſi uterum gerere deprehendatur, amittit.

Cornubienſes (inquit *Camden.*) ut omni humanitate exculti: ita fortes, ſtrenui, & ſtatura ſatis procera, toroſisque membris; & qui palæſtrica (ut illa virilia pilam jactandi certamina vocem) ita excellunt, ut eam laudem aliis gentibus & arte & virium firmitate præripiant. Sermo ipſorum ab Anglico diverſus, utpote ejusdem originis cum VVallica, licet dialecto nonnihil differat, & facilior ſit pronunciatu; licet nec Anglicum vulgo ignorent, quem tamen rudiori quodam accentu nonnihil deformant.

VViltonienſes bellicoſi, ita ut cum Cornubienſibus & Devonienſibus ſubſidiariam cohortem in prœliis obtineant.

Norfolcienſes fide in principes ſuos commendantur; plurimæ hic generoſæ

rosæ familiæ; quarum centum, inquit Speedus, numquam se majestatis læsæ reas fuisse jactare possunt.

Cestrenses nulli nationi bonitate & præstantia cedunt; regio nobilitate & viris bellicosis fœta. fœminæ formæ præstantia & pulchritudine facile cæteris præstant.

Northumbri bellicosi sunt, & optimi velites, quippe Scoticis bellis exerciti.

IV.

THOMAE SMITHI DE REPVBLICA ET ADMInistratione Anglorum,

Libri primi

CAP. I.

Rerumpublicarum atque administrationis varias esse formas.



QVI de rebuspublicis hactenu[s] scriptum aliquid literis consi[g]narunt, in tres imperand[i] formas purissimas & gener[e] maxime præcipua eas contulerunt. pri[mam], ubi in potestate unius summa rerum est, μοναρχίαν Græci dicunt: al[teram] in paucorum arbitrio positar[m]

ἀρι

ὀλιγοκρατίαν, tertiam populo desti-
atam δημοκρατίαν nuncupant. In
oc ipso autem (*imperare*) supremam
ngeque eminentem jubendi authori-
tem omnes intelligimus. atque illa
ipubl. pars præesse dicitur, ad quam
etandi, puniendi, & dirigendi jus spe-
at. Quod regit, constituit, & ad im-
erii rationem gubernat, in quavis re-
ublica justum & legitimum esse per-
ibetur, instar regulæ cujusdam, per
uam cuncta opificia exigi debent at-
ue examinari. non illam volo Les-
iam, quæ ad lapidem inflectitur, sed
ormam potius, qua cujusque operis
ctitudinem artifices architectique ad
mussim deprehendunt; illo nimirum
onsummatissimum opus absolvente,
ui ad propositam rectitudinem quam
roxime adspiraverit.

CAP. II.

Quid in quavis republica justum & legibus consentaneum.

SAtis jam constat, ex cujusque reipu-
blicæ commodo esse (perinde atque
erum omnium) si in statu suo perfe-
tissimo conserventur. quamobrem,
ui ad clavum sedet, si quod utile est
nperet, ejusque imperium, qui sic ad-
ministrat

ministrat rempublicam, si justum putetur, consentaneum est, Thrasymachi definitionem, id nempe justum esse, quod imperanti magisque viribus pollenti sit emolumento, (quum de civitate aut republica dictum usurpemus) nisi maligne interpretemur, non adeo à veri scopo alienam esse; quod Plato existimavit. Cæterum, ut aliud est reipsa utile, aliud quod speciem habet; sic aliquid suapte natura justum est, aliquid quod justitię imaginem æmulatur. Itàque non minus agere possunt rerumpublicar. moderatores quæ interdum obsint, quam qui justitiæ tenacissimus est, ex proposito non malo peccare, dum quæ male habent corrigere, & publicum commodum promovere, pro virili parte adlaborat. nam quando prętèr leges constitutas aliquid molitur, non injuria ex legum decreto supplicio est addicendus, utpote qui in leges ipsas commiserit.

CAP. III.

Rerumpublicarum divisio alia.

CAeterum res ista adhuc alia dubitatione premitur; ex his quippe gubernandi figuris, quæ ex unius arbitrio, paucorum, & populi voluntate dependent, qui rem ipsam seorsim & penitius

tius inspexerunt, aliam faciunt divisionem, sectisque bifariam singulis, justam & legitimam hanc, illam iniquam & malam putant. Atque ubi unus aliquis ad gubernacula accedit, rex vocatur vel tyrannus; ubi pauci, optimorum principatus vel nobilium & præpotentium factio; ubi multitudo, respublica πολιτεία δημοκρατική, vel impotentis plebeculæ dominatus, δημοκρατία ἁπάντων.

Cap. IV.

Varietas rerumpublicarum exemplis confirmata.

IN rebuspub. multa diuturnitate productis, & ipsa quasi sæculorum vetustate canescentibus, harum administrationum mutationes conspicuas effecit longi temporis varietas. Et Romæ quidem, Romulus, Numa, Servius, manu regia imperarunt; Tarquinius, Sylla, Cæsar tyrannica. Sub primis illis Consulibus optimorum principatus emicuit. Patres, interempto mox Tarquinio, indomitam imperandi libidinem (quæ paucorum fuit) sibi rapuerunt; quemadmodum etiam ante concessam populo Tribunitiam potestatem, & in ipso Decemviratu. sed maxime capitales fuerunt Tresviri, Cæsar, Crassus,

Pompejus; tum Octavius, Antonius, Lepidus. Pulsis Decemviris, populari statim instituto vivebant, & longo deinde post tempore, lege præsertim Horatii, sive, quod alii putant, Hortensii promulgata; *Quod plebs sciverit, id populum teneat*. Ante occupatam à Sylla rempublicam & paulo etiam ante C. Cęsaris dominatum, arbitratu suo cuncta moderata est multitudo. neq; enim ferre ætatem potest justo plus insolescens vulgi rabies & injuria; sed cogente ad id temporum statu, uterum quasi de tyranno gerit. Harum rerum vicissitudines, Athenæ, Syracusæ, Lacedæmon, & reliquæ cumprimis antiquæ urbes expertæ sunt. cui fato alias quoque regiones fuisse obnoxias, quis unquam dubitaverit? ea siquidem est humanæ vitæ conditio, ut in uno fortunæ tenore non permaneat. NASCENDO, denascendo, incrementa nunc, rursum decrementa capiendo, variis demum vicibus & alternationibus nunc morbi causam nunc spem vitæ facientibus, ad extremum fati diem pervenimus.

CAP. V.

De quæstione recti æquiq; in omni republ.

QVOD si igitur improbus aliquis rempublicam procuraverit, sicut in

in illis, quas recensui modo, formis novissimis usu venit (nolo enim hujusmodi status tam perturbatos meo calculo comprobare) ubi leges pro illo reipublicæ statu conservando sanciuntur; quæstionis est, utrum sine summo scelere mos gerendus sit necne, an præstet illam reipublicæ formam aboleri aut retineri, denique sit necne boni viri & civis officium, eam sartam tectam potius quam funditus deletam velle? nam magnis & exaggeratis animis id consilium allubescere persæpe comperio. Dion res novas contra Dionysium molitus est. itidem Thrasybulus, Brutus & Cassius; quorum isti Cæsarem, ille triginta tyrannos extinctum ivit. indeque adèo nata sunt non mediocria rerumpublicarum agitandarum semina; de quibus, pro eo ac prospere aut secus evenere, vulgus judicat; docti temporum potius opportunitates consiliaque contemplantur. illud vero exploratissimum est, leges patrias aut mutare, aut ad earum obsequium sese non accommodare, negotium semper cum periculo fuisse conjunctissimum.

CAP. VI.

Compositas esse plerumque, non impermistas respublicas.

TAmetsi igitur triplicem administrandarum rerumpublicarum formam esse statuimus, quæ per divisionem bimembrem sex fiunt: non tamen in eam sententiam accipi vellem, quasi reipublicæ aut civilis cujusquam moderationis simplicem aut impermistam rationem uspiam gentium repereris. verum ex instituto sapientum hoc profectum est, qui prima quatuor corpora seu elementa, ignem, aërem, aquam, terram, & in humano corpore constitutiones etiam quatuor, flavam bilem, sanguinem, pituitam, melancholiam, in quibus nullam absque alterius complexu liberam aut non castigatam (repugnante, ut fit, natura) quærendo investigaveris, subtiliter invenerunt. rationis enim ea vis est atque efficacia, ut nativum cujusque rei ingenium ita uti est sincerum illibatumque contempletur. Rempublicam ita nullam ostendes, quæ ex illis quas supra diximus formis illibatam servet integritatem: sed illarum quasi contubernio vitiata, genus nomenque partis, quæ plus potest, sequitur.

CAP. VII.

Regis definitio & Tyranni recitantur.

RErum summam ad unum aliquem delatam potestatem regiam esse perhibent, qui vel natalium splendore vel suffragiorum prærogativa, per consentientem Populi voluntatem, eam adeptus, patriis legibus atque ex arbitrio boni viri ipsam administrat, ad publicum ipsius compendium & suum similiter attentus. Tyrannum appellant, qui per vim absque consensu populi nactus principatum, leges pro libibito figit & refigit, accitis in consilium nec semel civibus, & rem communem suis gentilium familiariumque commodis postponit.

Inter istas boni principis & tyranni assignatas descriptiones triplex est discriminis nota: adquirendi dominatus modus, administrandi forma, ipse denique administrationis scopus in quem collimat. sic ut tyranni personam induas, dum affectas imperium; regiam, dum geras. quod in Octavio & fortassis in Sylla etiam observabis. quippe ambo crudelitati & tyrannidi nihil reliqui facientes, ad eum honoris apicem ascenderunt, unde postea reipublicæ in meliorem imaginem transmu-

tandæ vehementer visi sunt insudare. Alium, titulus regem facit, regimen tyrannum. quales Neronem, Domitianum, & Commodum fuisse, narrant historici. quippe illis jure successionis Imperatoria purpura designata est. in principalibus officiis postea versati, fœdissimę tyrannidi se dediderunt. id quod Neroni à quinquennio, Domitiano Commodoque perbrevi temporis intervallo, recentibus honoribus auctis, contigisse constat. Alii denique regnum per legitimos tramites adeunt, ac finem sibi rege dignum ob oculos proponunt, quos administrandi tamen ratio tyrannos efficit, quales à Cæsare & Octavio permultos Imperatores & pontifices Romanos etiam nonnullos fuisse nimis liquet.

Atque hanc exlegem potestatem sibi ex plebiscito debitam asserunt Imperatores. quod omnium primus C. Cæsar aut Octavius adeptus est, utpote quum ei & in eum omne suum imperium & amplitudinem populus contulerit. Papæ potestas CHRISTO nititur (in cujus universum jus successisse se gloriatur) cui omnis potestas data est in cœlo & in terra. qua tamen in re orbem Christianum, in sacrosancta Concilia coactum, parum sibi obsequentem

tem

tem habuit; qui eam poteſtatem vel ἀριστοκρατίαν vel legitimum regnum eſſe jubet, & ſolutam illam legibus autoritatem, ceu injecto in os fræno, temperandam ſtatuit. Non deſunt, qui eandem ſuper Galliæ regibus, nonnulliſque Italiæ principibus & aliarum rerumpublicarum præfectis ſententiam ferunt, quando ab his ſine conſenſu populi leges conſignari & reſignari, pecunias & ſtipendia populo tributim indici pro ſua & amicorum opinione, liquidiſſime conſtat. *Populum* interea (non abhorrente ab ingenio verbi ſenſu) integrum reipublicæ corpus voco, tribus quaſi claſſibus diſtinctum: qui Ludovicum ejus nominis XI increpare ſubinde non veretur, quod ille regiam Galliarum adminiſtrationem in παμβασιλείαν nulliſque legum repagulis coërcitam potentiam primus dicitur invexiſſe. ſolitus eſt quippe jactanter affirmare, ſua potiſſimum opera regnum Gallicanum quaſi de tutela ad plenam pubertatem redactum eſſe.

CAP. VIII.

De rege abſoluto.

NOn deſunt etiam, qui παμβασιλείαν Græcis nuncupatam, non

tyrannidis ſpeciem aliquam, ſed puram putam regiæ dignitatis amplitudinem, eamque cuilibet Principi indultam eſſe licentiam, modo ſuo jure uterentur, prolixe affirmant.

De poteſtate regia (βασιλεία νομικῇ) legum habenis repreſſa nihil inpræſentiarum habeo quod definire velim. Cæterum immunis illa poteſtas, quemadmodum in difficillimis belli temporibus, ubi omnia armorum ſtrepitu circumſonant, legibuſq; indictum ſilentium videas, non poteſt eſſe non valde opportuna; ita in pace eam ſi adhibeas, vide ne tibi exitio ſit, & populum in diſcrimen perducas. hujus rei cauſa, ſi Platonem conſulas, humanæ naturæ labes eſt quædam & corruptela, quæ effrænem illam nulloque legum nexu obligatam ſublimitatem, niſi nimio interdum faſtu arrogantiaque intumeſcat, ferre non poteſt.

Sapienter idcirco Romani Dictaturam nemini ultra VI menſium moram decretam voluerunt. (nam ſine provocatione Dictator imperabat.) quam Græcorum nonnulli legitimam pro tempore tyrannidem appellitarunt. Ariſtoteles (ſi ſatis memini) qui cæteris rerumpublicarum ſcriptoribus judicii diligentiæque palmam præripuit,

puit, ad unius regiæ administrationis formam, hanc retulisse videtur. cæterum in idem redit. primis siquidem temporibus penes Reges summum jus fuit: quos vel gentilium suorum antiquissimos Principes (quales Adamum, Noachum, Abrahamum, Iacobum, Esavum) fuisse constat, in liberos & mancipia ut par est libere dominantes: vel apud barbaras & stupidas nationes in illo rudi sæculo aliquis enituit, qui prudentia usus singulari, res plurimas pro multitudine alenda tuendaque excogitavit, justitiam coluit, reliquisque omnibus ita præstitit, ut cæteri, si cum illo conferrentur, mera essent jumenta: cui propter illam naturæ præstantiam, tributam in reliquos potestatem, defuncto quin etiam peneque adhuc spiranti divinos honores adscriptos, VATISque honorem inditum, quis dubitet? hinc est, quod Iudæi Mosem, Iosuam, suosque Iudices, ut Samuelem; Romani Romulum, Numam; Græci Lycurgum, Solonem; Zamolxim Thraces; Arabes Machometen; istis honoribus insigniverunt.

Hoc genus imperii tyrannidem Græci vocant. quod nomen plerique, dum regnare cœpissent, propter insolentiam & superbiam, insignem injusti-

tiam, neglectum reipublicæ ſtudium, infame ſuis facinoribus effecerunt; cædibus, adulteriis, rapinis, non in res & fortunas modo, verum etiam in liberos & uxores, per ſummum dedecus graſſantes. unde non paviſſe populum (quod boni paſtoris eſt officium) ſed deglubiſſe, immo lurconum & helluonum more totos devoraſſe, proprium videbatur tyrannorum inſtitutum. inter quos etiam, alios, qui divinam religionem & cultum omnem numinis contemſerunt, alios, qui dæmonum more vitam inſtituentes nefandis ſceleribus, ſeſe obſtrinxerunt, & tamen in ſacroſanctum Deorum cœtum referri ambiverunt (Dionyſium, C. Caligulam, Domitianum in teſtes appello,) neſcire nemo poteſt. ex quo factum videmus, illam adminiſtrandi ſpeciem, ſub initium non malam, abutentium vitio maculam contraxiſſe; adeoque Græce, Latine, Anglice, tyrannum inter & regem improbiſſimum omnino non diſtingui, quando neque ſalutem publicam procurare, & ſuas amicorumque fortunas amplificare, fœdam & cruentam libidinem explere, poſthabita interim omni numinis religione, & conculcatis legibus, nihil intereſſe exiſtimat.

CAP.

CAP. IX.

De Regis etymo, & administratione Anglorum.

MAjores nostri & Saxones, quibus nos patrii sermonis originem & natales nostros debemus, voce dissyllaba, ejus summam authoritatem, quem illi *Kyning*, Angli monosyllaba *Kyng* dicunt, efferre soliti sunt. cujus verbi originem, utrum ab eo, quod plus sapiant & intelligant, an quod plus cæteris possint Principes, haud facile dixerim. illud certi juris est, quædam utriusque vocabuli quasi vestigia, usu pene quotidiano detrita, adhuc usurpari. nam & virum prudentem scientemque *a cunning man*, &, Possum hoc facere, *I can doe this*, Angli suo sermone retinent.

Quantum ego antiquas recentioresque historias non segniter evolvendo possum consequi, non reperio gentem hanc nostram alia præterquam regia authoritate usam esse: qua ab initio in plures partita principatus, dum diversi pro se quisque regia manu provinciam suam gubernarunt, nec superiorem aliquem, cui obsequium & clientelam persolverent, agnoverunt, per bella demum intestina & civilia

victo

victo jus omne detractum penes victorem fuit, totumque in Monarchæ arbitrium cessit. Cæterum neque jus regni cuiquam in terris Imperatori, Pontifici, Principi, acceptum referunt Reges Angliæ, utpote Dei beneficio populique voluntate & consensu lecti & renunciati. quanquam IOHANNES, facta in ipsum nobilium conspiratione, & Delphino ipsis suppetias ferente, graviter afflictus, rebusque suis prorsus diffidens, quodque infensissimum sibi adversarium pontificem Romanum expertus esset, qui ipsis animabus & conscientiis subditorum dominabatur, ubi parendi necessitatem sibi impositam vidit, sceptrum in Pandulphi manus tradidit, rursumque ab eo, ceu pontificis vicario, fidem certamque pensionem in singulos annos pactus, accepit. Sed factum illud postea neque populi jussu confirmatum, neque III Ordinum in consessu Parlamentario decreto comprobatum, Regem ipsum, nedum successores, obligare non potuit.

De prærogativis Regis vide lib. II. cap. IV.

CAP. X.

Quid sit respublica, & quæ ejus partes, explicatur.

ATque ut propositi nostri ratio magis elucescat, adhibenda præterea est reipub. in partes suas alia divisio.

Remp. igitur, hominum liberorum in unum coactam multitudinem, mutuis inter se voluntatibus & pactis conventis constantem, ut se domi militiæque sartam tectam tueatur, esse definimus. Nam copias militares nemo (ut opinor) rempublicam dixerit, quæ postquam rem strenueque fortiterque gesserint, societati suę confestim renunciant. Quod si aliquis v aut x servorum cIↄ in potestate haberet (quemadmodum Romæ nonnullos fuisse perhibent historiæ, qui tot mancipiorum grege abundabant) quibus justum & clementem dominum se præberet, non propterea fundatam ex hac colluvie civitatem diceres, tametsi per urbes virosque descripta esset. quicquid enim per servos adquiritur, totum id in peculio domini est. accedit ad hæc eorum insuper authoritas, qui his de rebus graviter scripserunt, servos domesticos (si vitæ & rationis usum excipias) patrisfamilias instrumentum asserentes, ut fabri secu-

securim, serram, celum, &c. quibus ipse sic prospicit, non ut ipsorum utilitati & commodo sed sui ipsius inserviens. Non absimili ratione dicam, aratrum, currus, equos, boves, asinos, in bonis agricolæ esse, in quibus ille curandis licet exactam operam & diligentiam adhibuerit, conflari tamen ex his rempublicam quis potest sic desipere ut unquam opinetur? domini quippe res agitur, non jumentorum, quibuscum nulla juris humani aut officiorum civilium intercedit communio. vasa si cum figulo litigent quis ferat? quin potius insulsas querelas illas, Cur in hanc imaginem me finxisti, aut cur me confregisti, non execretur? par est omnino mancipiorum conditio. ære nostro redemta sunt: (vitæ rationisque beneficium illis non detraho) instrumenta sunt: illa ego ex jure Quiritium mea esse ajo: caput in ordine civium non habent: in patrimonio meo sunt & censu meo. Quod nisi alia administrandi ratio apud Turcas sit quam ut præ se suisque cæteros omnes vernarum loco habeant, (quod de illis scriptum invenimus) jure dubitem, utrum illi inter subditos regi an inter servos domino subjectos habendi sint, quibus Turca præter fas & jus omne pro libito & volun-

voluntate præest. hoc unum affirmare ausim, antiquissimorum Græcorum neminem imperium tam herile & barbarum reipublicæ aut πολιτείας appellatione ornare voluisse.

CAP. XI.

Familiæ origo & initium.

PORro si ea, de qua disseruimus, societas inter liberos homines contrahatur, quin ad minimum ex duobus tantum componatur, ratio ipsa renuit.

Finitimus naturæ ordo ab individua viri & uxoris conjunctione auspicatus ad uberiorem inter homines benevolentiam conciliandam valet. utrique rerum familiarium præfectura incumbit, pro vitæ instituto multum diversa. virilis muneris est, rem familiarem augere, in publico versari, vim & injurias propulsare; fœminei, parta conservare, domi se continere, sobolem & familiam alere, mundiciem & elegantiam in ædibus curare. ita quippe natura comparatum est, ut sua ambobus officia recte accommodentur. ita virum, severum, fortem, intrepidum, formæ negligentem, liberalem videas; fœminam, imbellem, timidam, ornatam, formæ indulgentem, parcam & te-

& tenacem. alter alteri ſic præſtat ingenii & ſapientiæ dotibus, quæ utriuſque ſunt propriæ, ut quæ ſuo incumbunt muneri felicius expediant.' abſque hac viri & mulieris copula humanum genus citiſſime abſumeretur. Atque ad hanc ſocietatem colendam non inſtituti, ſed à natura ſic imbuti ſumus, ut Philoſophorum omnium facile princeps non dubitarit affirmare, hominem uni potius velle quam pluribus adhærere. ac licet inter cuncta animalia homo maximam prudentiæ & aſtutiæ ſpeciem præ ſe ferat, non tamen uſpiam abſque officiorum civilium commercio vitam tranſigere poteſt. homo ſolus, ut placet Ariſtoteli, aut belluinam aut certe divinam conditionem æmulatur.

Ac mihi quidem videtur, in familiis ſic conſtitutis primam ariſtocratiæ faciem inter homines eluxiſſe, in qua pauci præſtanteſque viri in republica cum imperio ſunt, nunc jubentes nunc parentes invicem.

Id quo facilius temperari poſſet, DEVS OPTIMVS MAXIMVS pro immenſa bonitate ſua, viro ingenium, robur animumque addidit, ut fœminas propter rationem & vim dicto redderet audientes; mulieri decus, venuſtatem, leno-

lenocinantes verborum blanditias, ut per summam benevolentiam viris etiam præciperet. ita fit, ut dum quisque mutuas obsequendi imperandique operas tradit, rem domesticam & familiarem simul ambo administrent. Sub familiæ jam appellatione, virum, uxorem, liberos, mancipia, famulos, pecus, supellectilem, reliquaque, quæ in bonis recenseri solent, complector universa, quamdiu juncta simul permanent. Sed neque hoc Aristocratia, nisi contracta ad verbum similitudine, vocari potest. est enim domus una, & minuta quasi scintilla, illius imperii specimen nobis repræsentans.

CAP. XII.

Regni origo & initium.

QUoniam vero commune rerum omnium est, ut ab ipso statim ortu aut amplificationem capiant aut diminutionem; aucta jam (ut fit) & per procreationem prolis numerosiore facta familia, ut sub eodem tecto non facile omnes contineantur, liberis quoque ipsis ad justam proceritatem prudentięq; quasi metam maturescentibus & iccirco imperium magis expetentibus, parētes eos per paria domo propellunt, ut tanquam novi surculi alibi ra-

dices agant altissimas. ibi vero ex liberis nova stirps producitur, indeque aliæ ex aliis prodeunt familiæ. unde per unius primum, deinde per alterius insitionem, post interjectum aliquod temporis intervallum, contubernia in villam, villæ denique in civitatem progerminarunt. sic, ubi cives, pagani, villici, in unum convenerunt, singuli pro communi salute excubantes, arctissimeque societatis vinculo inter se colligati, & supremo generis autori ceu parenti principatum deferentes, genti nomen dederunt. Ex hoc fonte manare mihi videntur non urbium aut oppidorum modo sed imperiorum etiam & nationũ omnium scaturigines. quamdiu enim proavus ille in vivis erat, & ad rempublicam capessendam non plane ineptus, flagitium certe quam quod morte vindicandum esset atrocius admisisset, si liberorum quisquam cum ipso vel in certamen honoris & dignitatis venire sustinuisset, à quo vivendi beneficium hausisset.

Talis proinde mihi videtur vivum & expressum absoluti Principis exemplar & imaginem præ se ferre. quippe illos filiorum & nepotum loco omnes diligebat, illos non minus quam tenellas corporis sui particulas fovebat, demum omnia.

omnia eo melius procurabat, quo cæteris usu & ætate plus pollebat. vicissim hi ipsum ut parentem optimum suspiciebant, propter consilii prudentiæque opinionem reverebantur, illius dicto auscultabant, non aliud oraculum in rebus arduis consulebant, diras & imprecationes ejus, non minus quam si tremenda essent numinis divini effata, metuebant. quos ille disciplina magis quam supplicio in officio continebat; ratus nimirum id quod res est, quibus illi affecti essent, se quoque iisdem pœnis tangi & conturbari.

CAP. XIII.

Status optimatium origo & initium.

SEd postquam ille è vivis excessisset, statim filii fratresque, non eam cuiquam reverentiam exhibentes quam solebant seni, neque parem aut spem aut fiduciam de cujusquam prudentia benevolentiaque habentes, exortis interdum vel inter fratres ipsos litium & contentionum seminibus, quo tamen exterorum injurias propulsare possent, cœperunt consilium simul capere, atque alternis vicibus imperii molem ea lege suscipere, ut neque potestas solitudine vel mora corrumperetur, neque spretum aut omissum se quisquam in-

dignaretur. atque ſic inventa eſt ratio, qua, ſi quiſquam propter inſcitiam in munere magiſtratus obeundo fuiſſet incautior, aliis exemplum præberet, ne in eundem imperitiæ ſcopulum iterum impingerent. interea, ubi uſus efflagitabat, ſuper communi ſalute & privatis negotiis ſententiæ patrumfamilias rogabantur: unde ad paucos & in ſua domo primores viros, natalium conditione (tametſi non facultatibus) facile cõferendos, pervenit imperium in proprios lares. ſpectabant ad illos etiam crebrę pro cauſa publica diſquiſitiones, & legum condendarum ſumma authoritas. ita penes optimos quoſq; & prudentiſſimos reipublicæ moderatio fuit, quibuſcum cæteris, ſi maxime vellent, nullus erat certandi locus, occaſio nulla, niſi omnem pariter ætatis, conſilii, opum, generiſque prærogativam illis præripere vellent. anxie ſcilicet id agebant patres & præfecti, quo gentem non ſecus quam liberos quam nepotes alerent & foverent. nam qui in ipſorum jura ſuccederent, qui famam nomenque ad poſteros propagarent, quique ex mortalibus facerent immortales, alios non habebant.

Atque in eam curam vehementer incubuerunt majores noſtri, ut gentiles ſuos

ſuos eadem virtute contra peregrinas & incultas nationes, quibuſcum nullam ſermonis aut ſacrorum conſuetudinem haberent, quaſi cum beluis depræliaturi defenderent.

Hinc, niſi falſum conjicio, imperandi forma profluxit, quæ in paucorum arbitrio poſita, gręce ἀϱιστοκϱατίας, latine ſtatus optimatium nomen ſortitur.

CAP. XIV.

Status popularium origo & initium.

IAm vero, ut ſuus cuique rei terminus à tempore eſt aſſignatus, ſublatis è medio fratribus, & in magnam indies multitudinem ſuccreſcentibus eorum liberis, languenteque inter tot æquales per ſeniorum (ut fit) vel mortem vel vitium quę patribus debita eſt reverentia, ſingulis quoq; pro officio præmium educationis ſuis parentibus maioribusque adſcribentes; in tam numeroſa prole, ubi tanta eſſet æqualitas, fieri omnino non potuit, ut paucorum imperio omnes ſe ſubjicerent. nam cum duæ potiſſimum res ſint, de quibus inter ſe homines contendunt, honorem intelligo & utilitatem, nemoque ingenui ſaltem fidentiſque animi non gravetur in altero ſe eſſe neglectum; per ſummam

inde neceſſitatem ad id impulſi ſunt, ut magiſtratuum præfectorumque creandorum jus penes partem eſſet numeroſiorem. ita ſeu vice ſeu forte facta eſt cuilibet rempublicam capeſſendi poteſtas decerpendique ſi quod inde emanaret commodum. quiſquis dum natales ſuos ad illum primum generis authorem referre poterat, credebat ſe hac ratione nemini eſſe inferiorem. proque rebus pręclare geſtis aut cuncti aut tantus ſane numerus quantus dici puſillus non poterat inſtabant. quod ſi ſupra reliquos imperium habere pauci voluiſſent, conſpirantes inter ſe cæteri illos confeſtim ſuperare aut extrema pati coëgiſſent. ex quo non temere accidit, vertendam eſſe denuo reipublicæ formam, quemadmodum prius ab unius arbitrio in paucorum, ita ab his in multorum manus perventuram. Singulis tamen cœtum civilem conſervandi, ſuę nationis authoritatem tuendi, ſeque contra alios defendendi, ſemper idem ſtudium fuit; certantibus interim inter ſe de poteſtate & imperio, quis inter illos de republica melius meritus audiret: cujus rei non aliunde argumentum deducebant, quam ex magiſtratu bene defuncto.

Atque, niſi me fallit animus, primus

iste est & naturæ maxime conveniens popularis imperii ortus. quod Græci δημοκρατίαν appellabant, Latini fusius rempublicam; alii, populi censusque potestatem: sed quam Latine, ipsi viderint.

CAP. XV.

Rempubl. populi ingenio esse accommodandam.

EX his quæ dicta sunt, liquido constat, mutationes in formis politicis à natura potius quam ab ambitione malitiave profectas esse, & accommodatam populi ingenio administrationem esse debere. atque, quemadmodum singula hęc tria rerumpublicarum genera causas in natura positas habent, ita, ubi pro civium indole, id quod maxime convenit, adhibetur, (ut si vestem corpori aut aptum pedi calceum induas) mox illud civile corpus tranquillum est, & oblectationem haurit ex illa quiete cum utilitate conjuncta. quod si per speciem politiæ à civium moribus abhorrentem eos gubernare velis, tum veluti calceus, si pede minor erit aut major, ipsi incommodus est & inter eundum obest; ita si quis, contra quam ipsi volunt, per summam tyrannidem civibus imperitaverit, (sit licet

eximię alioquin bonitatis aut labescant ilico, aut serviliter se gerant, aut nunquam prius desistant, quam regem ipsum & qui eos debellarunt aut se denique perdiderunt. Est etiam aliud genus hominum, cui si præfuerit nemo, quasi jugo solutum quid faciat plane ignorat. itaque per insolentiam, superbiam, desidiamque, ad facinora & omne genus sceleris proripiunt, & spargunt se diffunduntque, aut stolida quadam ambitione & privatis inimicitiis mutuo se perimunt. Ea vero, quæ diximus, plenissime confirmant omnium ætatum gentiumque conscriptæ historiæ, ut de Græcis, Romanis, Samnitibus, Danis, Vandalis, reliquisq; constat.

Cæterum nollem quenquam sic existimare, quasi omnes rerumpublicar. administrationum formas per hujusmodi propagationem & sobolem gemmascere affirmaverim. sæpe etenim, postquam diu bello disceptatum est, imperator, qui exercitui è diversis nationibus conflato præfuit, captus ejus loci quem expugnavit amœnitate, dum illic moratur, rempubl. & regnum fundando ponit. ita Gothos & Longobardos in Italia, in Gallia Francos, in Hispania & in aliqua Galliæ parte Germanos, in Britannia majore, cui nunc

nomen

nomen est Anglia, Saxones fecisse constat. quando autem Princeps ille moritur, tum nobiles, re primum deliberata, regem alium designant; aut summum reipublicæ in plures præfectos partiendo deducunt; atque ita fecisse Longobardos in Italia, in Anglia Saxones, recepimus: aut imperium populare amplectuntur; ut Helvetii in suis diœcesibus: vel postposito multitudinis principatu, dominium ad paucos referunt; quod Patavini, Veronenses & Veneti facere consueverunt.

CAP. XVI.

Partes & personæ reipublicæ distinguuntur.

SEd ut omnia clarius elucescant, exoritur alia in partibus reipubl. divisio. parum quippe est, si quis eam pluribus familiis prognatam, unde villis origo est, arbitretur; aut ex oppidorum vicorumque multitudine regnum enasci; quodque pro civibus tantum liberi habendi sint, non servi, quibus, ceu instrumentis & facultatibus aliorum, nulla est in caput liberum potestas; quodque fœminas itidem arcuerimus, quæ, si naturam ducem sequantur, domi sese continere, liberos tollere, rebus cæteris non immisceri, inter cives ma-

giſtratu non fungi didicerunt; niſi ubi potior habenda eſt ratio generis, quam ſexus, quam ætatis, quando honos ſtirpi adhæret; ut Regem, Ducem, Comitem eſſe. (quod tamen de Regina abſoluta, Duciſſa, & Comitiſſa dictum puta, quæ non quod Regi, Duci, Comiti nupſerunt, hunc titulum præferunt, ſed quod ad eas ceu ad proximas legitimaſq; hæredes jure ſanguinis pertineat. eadem namque apud illas in regno, ducatu, comitatu authoritas eſt, quæ viris juſta ætate, ipſi licet fœminæ puerive fuerint. plus enim valere debent ille natalium ſplendor & jus, plus regni ſalus & incolumitas quam vel tenella infantum ætas nondum tractandis regni gubernaculis idonea, aut ſexus fragilitas publicis negotiis non adſuefacta: à quarum latere viros cordatos graveſque nunquam diſcedere omnes arbitramur; qui optima quæque ſuggerendo, ubi uſus poſtulat, ſicubi quid deeſſe vident, ipſi explent.) Totum hoc quod ſupra nominavimus ſatis non eſt. ſed eorum, qui in republica verſantur, alii munera in civitate ſuſtinent, alii expertes ſunt: illi magiſtratus, hi privati dicuntur. Huic non abſimile fuit illud Romæ diſcrimen, inter patritios & plebeios longo inter ſe tempore diſ-

ſidentes,

ſidentes, ubi interim hi per multos annos ab omni officio excluſi ſunt, donec par atque æqua fuit apud utroſque magiſtratus conſequendi authoritas.

Erat quidem & alia diviſio, in ſenatores, equites, & plebem; ut apud Græcos illa in εὐγενεῖς καὶ δημοτικοὺς, hodieque apud Gallos, *les nobles & le populaire*, *gentils-hommes & vilains.* ſed hic in Anglia in quatuor genera diſtribuuntur: nobiles nempe, cives, plebeios, artifices & operarios. Inter nobiles primo loco REX, tum Principes, Duces, Marchiones, Comites, Viceco-mites, Barones recenſentur. atque hi κατ᾽ ἐξοχὴν ipſa *Nobilitas* vocantur, & porro *Domini vrique Nobiles* audiunt. hos proxime ſequuntur Equites aurati, Armigeri, & Generoſi.

CAP. XVII.

De primaria nobilitatis Anglicæ parte, quæ eſt nobilitas major.

DVces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, aut iis honoribus à Principe affecti ſunt, aut quia hæredes filii ſunt & parentes ſuos proxime attingentes, illa dignitate exornantur. nam & Ducis filius natu maximus ipſo patre ſuperſtite *Comitis* nomen uſur-

usurpat, & Comitis filius nomen titulumque *Vicecomitis* aut *Baronis* (imo etiam pro indulta dignitatis conditione *aliud*) sortitur. dumque de promovendo aliquem ad novos honores loquimur, ipsos intelligimus donationis codicillos, in quibus propter obsequium & operam narratur Princeps aliquem velle decorare. sed illa amplitudo in prolem masculam ut plurimum traducitur. Cæteros nobilium filios summo jure *Armigeros* esse dicimus. pervulgato tamen sermone quosvis Duce & Marchione prognatos, ut & filium Comitis ætate provectiorem, DOMINOS appellamus. quæ vox nisi aliquibus interdum ad summum officium evectis conveniret, ad alium certe quam ad præcellentem Baronum ordinem non pertineret.

Barones nostri Romanis senatoribus respondent, illorum patriciis nostri nobiles, quando patriciatus vel senatores vel senatorũ filios designabat.

Senatorum census aliis temporibus alius fuit. apud Anglos nemo ad Baronis fastigium efferri solitus est, si annuis reditibus auri puri cIↃ libras vel marcas erogare non potuerit.

Vicecomes, Comes, Marchio, Dux, quoniam honore cæteros longe antecellit,

cellit, etiam amplificatam pro dignitate fortunam habere eum necesse est. quod si de proventibus illis propter inopiam aliquid decedat (quis enim præstare potest diuturnam divitiarum possessionem?) jacturam tamen fieri dignitatis leges non sinunt. quanquam si insigni aliquo damno affectus fuerit, ut Senatores Romani à senatu amoti sunt, ita nullus huic locus in supremo Comitiorum conclavi reliquus erit.

Additamentum, in quo Nobilitas major paulo plenius explicatur.

NObiles in Anglia dividuntur in majores & minores. Majores sunt Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites & Barones, qui vel hæreditario jure his titulis gaudent, vel iisdem virtutis ergo à Rege ornantur.

Dux primus est post Principem dignitatis titulus; olim quidem officii, non honoris: utpote qui primum honorarius esse cœperit tempore Otthonis magni. In Anglia post Normannorum ingressum hic honor à Regibus nulli fere habitus ante Eduardi III tempora, qui filium Eduardum Cornubiæ Ducem creavit, per sertum in capite, annulum in digito, & virgam argenteam.

genteam. (postea fuit aurea.) Idem & filios suos Leonellum Ducem Clarentiæ, & Ioannem Ducem Lancastriæ, per cincturam, imposito capitibus pellito pileo, cum circulo ex auro & margaritis, & charta tradita, creavit. Exinde jam plures hęreditarii Duces creati cum hujusmodi verbis in charta: *Nomen, titulum, statum, stylum, locum, sedem, praeminentiam, honorem, authoritatem, dignitatem Ducis damus, concedimus, atque per gladii cincturam, cappa & circuli aurei impositionem in capite, & traditionem virga aurea, realiter investimus.* Nihil autem interea his aut territorii aut muneris vel jurisdictionis confertur. Expiravit autem hic titulus in Anglia anno 1572. Nec revixit nisi nuper in filiis Regis Iacobi, & dein Buckingamio. Ducis autem filius primogenitus ipso patre superstite Comitis nomen usurpat.

Marchio. Hic titulus (inquit *Camden.*) serius ad nos pervenit; nec ante Richardi II tempora; qui Robertum Vere Oxonii Comitem, delicias suas, Marchionem Dubliniæ designavit, merumque erat honoris nomen. Creantur autem per gladii cincturam, ac cappę honoris ac dignitatis impositionem, chartamque traditam.

Comes.

Comes. Saxones noſtri, (inquit *Camden.*) quos ſua lingua *Ealderman*, Latine *Comites* & *Conſules* dixerunt; eoſdemque *Eorlas*, id eſt, honoratos, ſua lingua Dani vocarunt, ut author eſt Ethelvverdus; quo nomine emollito *Earles* hodie nobis appellantur. Diu ſane ſimpliciter hoc nomine appellati fuere, poſtea vero loci adjectione, cui præerant. Poſt VVilhelmi Normanni adventum, primum feudales, hæreditarii, & patrimoniales eſſe cœperunt; primo ſine loci nomine, dein loci nomine adjuncto, & tertio Comitatus denario (id eſt, tertia parte mulctarum Regi ex placitis accreſcentium) illis aſſignato. Primis temporibus tantum gladio accingebantur; acceſſit poſtea impoſitio pilei, cum circulo aureo, qui nunc in coronam radiatam mutatur, & trabea honoraria. Comitis filius primogenitus patre ſuperſtite Vicecomitis aut Baronis titulum uſurpat. olim Comes etiam Caſtro Comitatus potiebatur: ſed hodie (inquit *Spelmannus*) nemo eſt (quod ſciam) qui cum Comitatus titulo caſtri potiatur Comitatus; vel ex nomine ſuæ dignitatis, alicujus uſpiam aut imperii aut juriſdictionis. Confertur itaque jam Comitivæ gradus ei; cui in Comitatu illo

illo nihil possessionis est: sed Rex è suis illic reditibus annui quid concedit, puta 20 libras, aut simile quid.

Post Comites (inquit *Camden.*) *Vicecomites* ordine sequuntur; Vetus officii sed nova dignitatis appellatio, & Henrici VI tempore primum apud nos audita.

Barones denique. Id nomen primo non magni honoris fuit, cum etiam melioris notæ cives ita vocarentur: sed labentibus annis, ut Romæ olim senatores è censu lecti, (*Camdenum* audis,) sic Barones in Anglia habiti fuerunt, qui per integram Baroniam terras suas tenebant, sive XIII feuda militaria & tertiam partem unius feudi militaris, *quolibet feudo*, ut habet vetustus liber, *computato ad* XX *libras, quæ faciunt* CCC *marcas. Ea enim erat valentia unius Baroniæ integræ; &, qui terras & reditus ad hanc valentiam habuerunt, ad Parlamenta summoneri solebant.* Dignitasque videtur fuisse cum jurisdictione, quod curiæ Baronum, quas vocant, quodammodo probant. Ipsaque Baronum multitudo persuadet, tales fuisse dominos qui jus in sua ditione dicere possent. cujusmodi apud Germanos *Freyherren* ab Henrico III Rege CL numerati: plenaque honoris tum

appel-

appellatio fuit, cum nomine *Baronagii Angliæ* omnes superiores ordines, Duces, Marchiones, Comites, & Barones continentur. Sed ad summum honorem pervenit ex quo Henricus III ex tanta multitudine, quæ seditiosa erat, optimos quosq; rescripto ad Parlamentaria comitia evocavit; quod Eduardus I, & successores, constanter observarunt. Inde illi soli Regni Barones haberi cœperunt; donec Richardus II, Ioannem de Beauchamp ab Holt, Baronem de Kidermunster diplomate dato creavit. Iam inde Reges literis & honoraria trabea imposita sæpius hunc honorem detulerunt. Vtraque forma hodieque in usu, & per diplomata, & per summonitiones ad Parlamentum; & sic creati vocantur Barones Parlamenti, Barones regni, & honorarii; ad differentiam illorum qui adhuc ex veteri formula Barones dicuntur, ut illi de Buxford, de VVatthon, &c. Hi parlamentarii Barones non nudo tantum nomine gaudent, sed omnes sunt Regni Angliæ Pares, & Consiliarii nati; evocanturque à Rege his verbis ad tractandum de arduis regni negotiis & consilium de iis impendendum. Plurimis gaudent privilegiis. A Paribus suis tantum judicantur, & de ipsis judicant:

non jurati ſed honoris intuitu. Ob proditiones capite ſolum truncantur, principe ſuſpendii pœnam remittente. In feloniis tamen laqueo necantur, quia ibi nihil remitti poteſt niſi ipſa mors. Ab arreſtatione & comprehenſione Ballivorum ſunt immunes, niſi pacis violatæ cauſa. Inter duodecemviros juratos non aſciſcuntur, &c. Apud Anglos (inquit *Smithus*) nemo ad Baronis faſtigium efferri ſolet, ſi annuis reditibus auri puri CIↃ libras vel marcas erogare non potuerit. quod ſi de proventibus illis propter inopiam aliquid decedat, jacturam tamen facere dignitatis leges non ſinunt. quanquam ſi inſigni aliquo damno affectus fuerit, ut ſenatores Romani à ſenatu amoti fuerunt, ita huic nullus in ſupremo Comitiorum conclavi locus fuerit.

CAP. XVII.

De ſecundaria nobilitatis Angliæ parte, quæ eſt nobilitas minor: & primum de Equitibus.

EQVES AVRATVS nemo naſcitur, non REX ipſe, non Princeps. primogenitum Regis filium VValliæque Principem, PRINCE Anglice κατ' ἐξοχὴν denotat: quamvis REX hanc

hanc ipſe vocem ſibi cum liberis ſuis ducibuſq; communem audire non dedignatur. atque in eo, quod nunc dicturus ſum, non plane alienus eſt à noſtro Gallicus loquendi mos. nam cui proximæ ſunt in regno ſuccedendi partes, ſi hæres filius fuerit, DELPHINVS, ſin regibus propinquitate conjunctus, MONSIEVR. apud nos Anglorum REGIS filius ætate major, THE PRINCE appellatur.

Cæterum Equites, vel ante pugnam virtutis augendæ gratia, ut fortunam belli alacrius periclitarentur, vel à pugna, re præclare fortiterque geſta, viriles animos cohoneſtandi ergo; vel in pace denique, propter aliquam fortaſſis operam inſigniter navatam, vel ſpem bonam quæ de illis concipitur, militari cingulo exornantur. ſed neque omnes eodem modo fiunt. nam interdum, qui REGIS judicio admodum probantur, ipſe equites eſſe jubet. interdum ex mandato & authoritate REGIS, interdum pro legati arbitrio, qui copiis militaribus cum ſumma poteſtate præeſt, inſigniuntur.

Atque iſte ordo aliqua ex parte Equitibus Romanorum reſpondere videtur. nam in pleriſq; convenit, quantum noſtra reſpubl. illam exprimere valebat, licet

licet in nonnullis fuerit alienior. ſiquidem ita natura fert ut rerum pub. nulla ſibi diu conſtare poſſit, nedum alteri congruere. & ob ſocietatem civilem aliquid accedere vel de ea viciſſim detrahi fatale eſt: proque temporum diverſitate alios mores poſtulante, aut hominum ingeniis res novas ſubinde affectantibus, quod vituperio dignum eſt emendatur. Equites Romani ex cenſu, hoc eſt, pro modo facultatum & rerum ſuarum eligebantur. idem etiam plerumque in Anglia ſolet obtinere, ubi hanc fortunæ amplitudinem annui illorum reditus ſuſtinere queunt. Neque tamen omnes Equites legebantur, qui cenſum equeſtrem poſſidebant: quemadmodum neque in Anglia uſuvenire ſolet. illorum etenim dignitatem hanc propriam eſſe REX voluit, quos ille potiſſimum honore proſequendos ſtatuit. penes arbitrium Principis in utraque republ. fuit equitum numerum definire. illud autem, in quo noſtros ab equitibus Romanis ſuperari facile concedo, equus fuit publicus. nam noſtri pacis militiæque temporibus ſuis ſumptibus equum alunt. Cenſum equeſtrem apud Romanos diverſis temporibus haud uniusmodi fuiſſe accepimus. ſed in Anglia ex antiquæ legis inſtituto, qui

qui XL libras *starling* in singulos annos queat expendere, inter ipsas REGIS inaugurandi ceremonias, ejusve filiæ nuptiis, aut ea tempestate, ubi filii Principis equestri dignitate insigniuntur, aut sicubi magnæ rerum occasiones se ingerunt, edicto REGIS eques jubetur esse, aut [si nolit*] mulctari pecuniis; quas plerique interim non tam honorum, [* quorum sumptus ipsa mulcta graviores esse reputant*] quam divitiarum cupidi libentius persolvunt. nonnulli, qui illo honore indigni censentur, tametsi divitiis abundant satis & illam dignitatem ambiunt maxime, & voto suo privantur & XL librarum *starling* dispendio plectuntur. has si ad ejus temporis examen aliquis subducat, in quo mos iste primum succrevit, haud pauciores centum & viginti libris nostratibus inveniet: quod ego fusius in illo libro declaravi, qui de pretio nummorum circumfertur. Videntur Romani in duos ordines rempubl. suam distribuisse, cum SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS inter scribendum usurpabant; adeoque populi voce, equites plebemque complexi sunt. sic, ubi SENATVS POPVLVSQVE ANGLICANVS dicimus, equites, armigeros, reliquos item nobiles,

cum civibus, municipibus, & plebeiis una voce denotamus. In LL. sanciendis conveniunt in *Senaculum* Reguli una cum Archiepiscopis & Episcopis, præsentibus pro tempore & præsidentibus ipsis REGIBVS & REGINA. Equites, cæteraque nobilium multitudo, cives quoque & municipes, super gravissimis regni negotiis ad deliberandum adhibiti, seorsim in domum aliam congregantur, quæ *populi concio* appellatur, ut clarius posthac describemus de Parlamento acturi.

Dubitationi locus esse possit, unde hoc nomen *Knight* factum sit, etsi quid præterea amplius significet quam apud Latinos *miles*, quod respondet Anglicano *à Souldier.* vox ista *Souldier*, ex eo potius deducta videtur, quod est *Sould* & *Paiment*, hominemque ad pugnam conductum, & stipendiarium indicat; tametsi Cæsar in commentariis suis eos *soldures* vocat Gallice, qui vinculo quodam & juramenti inter se ducemque suum religione conjunguntur. quam si Germani rationem sequerentur, fieri potuisset, ut qui operas & virtutem suam stipe non locassent, verum propter aliquam generis sui efferendi spem (utpote homines ex eadem gente prognati) suis impensis victitabant, & hujus

hujusmodi juramento persanctè se astringentes militabant, fortassis hi κατ' ἐξοχὴν *Knights* aut militum nomine perhiberentur: quando apud Germanos aliqui *Landts-Knechte* dicuntur, quasi cohortis gratuitæ milites: quanquam hodie pleraque illorum pars sit mercenaria. aut forsan, quod qui circa Principem proximi erant, quasi servi de reliquis lecti, & delibati satellites, Germanico sermone *Knechte* appellati, (quod perinde est ac si servum dicas) quia fideliter deserviebant, in argumentum honoris cœpta est deinceps vox usurpari & notam viri militaris. in hac re quod ad linguam nostram toties mutatam attinet, sententiam meam non fero. illum nunc dierum Anglice vocamus *Knight*, quem Galli *Chevalier*, Latinique *Equitem* aut *equestris ordinis*.

Et quoties equestri dignitate quisquam decoratur, genu nixus, enseque evaginato in tergum aut in humeros ictus est, loquente in hæc verba Principe, *Soyez chevalier, au nom de Dieu*, cui olim *Divi Georgii* adjiciebant; & priusquam in pedes se attollit, *Avancez*. Atque iste cingendi usus uti jam obtinet, ita semper cingendi equites, non creandi, phrasis longe fuit antiquissima.

Equites Balnearii, in ipsis Regum

sacrandorum celebritatibus, non sine prolixis & curiosis ceremoniis insigniuntur.

Equites Vexilliferi in acie fiunt, abscissa scilicet vexilli cuspide in formam signi militaris. unde ex equite cœlibe in eum honoris gradum sic promoventur, ut in vexillo insignia sua perinde expandendi jus & authoritas illis constet, atque si Barones ipsi forent. sed exolevit iste fere per Angliam ordo.

Cæterum, quacunque demum ratione in classem equitum quis cooptetur, communem statim dignitatis titulum uxor illius cum Baronis conjuge sortitur, quando utraque *Domina* nuncupatur. ipse tamen Baronis appellatione non gaudet, sed adjectam vice pronominis syllabam habet *Sir.* veluti, si prius Thomæ, Gulielmi, Iohannis, aut Richardi nomine appelletur, deinceps dominus Thomas, dominus Gulielmus, dominus Iohannes, dominus Richardus audit; qui titulus equitibus in Anglia defertur. Et ordini quidem equestri explicando, quæ hactenus disseruimus, satis inpræsentiarum esse possunt. superest adhuc aliud equitum genus, quod *aureæ periscelidis* dicitur.

EDVARDVS III postquam multis, iisque perinsignibus victoriis potitus esset,

esset, quippe *Iohanne* Galliarum, *Iacobo* Scotiæ, regibus captivis in turre Londinensi simul detentis, *Henricoque* notho Castellano è regni finibus ejecto, *Petroque* auspiciis VValliæ Principis Ducisq; Aquitaniæ, cui *Nigri* cognomentum fuit, demum restituto, consortium illustre excogitavit; factoq; per ipsum è regno suo cæterisque ditionibus, adeoque ex universo orbe Europæo, virorum delectu, splendoris virtutumq; luminibus maxime insignium, eo honoris titulo decoravit, fasciaque insuper auro gemmisque distincta donavit, fibulaq; aurea in sinistro crure, indies gestitandis; adjecit insuper cycladem, togam, pallium, torquemque, reliquasq; id genus vestes trabeatas, materia juxta atq; opere ipso spectabiles & heroicas & tam augusto sodalitio percommodas, quas festis solennioribus pro se quique induerent. cujus sodalitii principem locum REGI REGINAEVE illorumve posteris assignandum, reliquos autem illius ordines, sex scilicet viginti, statutis quibusdam & legibus devinctos, fratrum ac consodalium numero habendos esse. Cæterum, quoniam non tam politiæ aut gubernationis in republica species aliqua est, quam ornamentum, cesso ulterius super hac re aliquid adtexere.

CAP. XIX.

De armigeris.

ESCVIER aut *Esquier*, quem vulgo *Squire* appellamus, dictio plane est Gallica, & scutigerum aut armigerum designat, & in universum illos, qui nobilitatis suæ specimen, ex qua emanarunt, in insignibus gerunt. hi distinctum aliquem reipublicæ ordinem non faciunt, sed in classe nobilium reponuntur, nihilque ab iis differunt, nisi quod (ut ego sentio) insignia ferunt generis sui claritatem repræsentantia, ut propterea cinctura aut creatione opus non habeant. aut etiam ex eo nomen invenerunt, quod quum in principio dominis aut equitibus ephebi essent honorarii aut scutigeruli, conversus est in honoris titulum officii modus, per quem etiam à gregario milite discernerentur.

CAP. XX.

De nobilibus minorum gentium.

GEntlemen, id est, nobiles, sunt, quos natalium series dignitasque claros efficiunt, Græcis εὐγενεῖς dicti, Latinis nobiles, Gallice *nobles*. Εὐγένειαν Latini definiunt præstantiam alicui collatam, quod ejusmodi majoribus eum nasci con-

contigerit, quorum longa series divitiis, & virtutibus floruit: aut, ut rem paucis absolvam, diu fundatam in eadem familia cum virtute rerum abundantiam. quod si hanc præclaram suorum excellentiam posteri quoque imitentur & observent, vere nobiles atq; εὐγενεῖς habentur: sin minus, majorum tamen res & fama illos aliquandiu obducit, consimilem in modum atque ea, quæ auro circumlinuntur, tantisper donec inauratio detersa fuerit, ęris proprii formam non perdunt. quod diximus, ipsa tuetur ratio. nominis quippe etymologia, verbi efficaciam satis declarat. nam Latine quidem gens stirpē vel cognomen significat, quemadmodum apud Romanos, Corneliorum, Sergiorum, Appiorum, Fabiorum, Aemyliorum, Pisonum, Iuliorum, Brutorum, Valeriorum, quos qui per virilis sexus cognationem contigerunt, & familiæ nomen apud se retinuerunt, agnati gentiles vocabantur. iidem manente patrum suorum gloria, hujus aut illius prosapię nobiles fuerunt. quæ res litem inter Romanos excitavit maximam, ubi novi quidam homines recenter exhibitę virtutis ergo receptiores apud populū forent, quam vetustus ille natalium ordo per ignavam flagitiosamque nepotum vitam

vitam obtritus illos efficere potuisset. hac de causa Cicerones, Catones, Mariique, plurimum cum antiquis illis conflixerunt. unde Iuvenalis:

Malo pater tibi sit Thersites, dum modo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.

Sed Principibus (idem etiam rebuspublicis usu venire solet) necessarium omnino est, virtutem præsentem decorare. Et quamvis ratio magis exposita sit illustri loco natis virtutem consequendi, cum exemplo majorum, quo adduci, tum beneficio rectæ educationis, quo valere possunt, cui denique accedit insitus quidam amor clientum & vicinorum (pro eo quod ipsorum ædes incolant) nobiles suos maxima benevolentia prosequendi, & ad patrum vestigia premenda incitandi: tamen ubi hæc omnia defuerint, quemadmodum (quod valde deplorandum est) pro ingenio rerum humanarum mundique novis semper mutationibus obnoxii deesse plerunque videmus, tum majorum suorum potestati æqualem Princeps apud se & respublicas retinet. nam veluti prudens agricola loco vete-

ris

ris labantis novam arborem inserit, ubicunque locorum invenerit: ita apud Principem, ubi virtutem aliquam egregiam intuetur, ipsam exornandi authoritas semper fuit. Nobiles, Armigeros, Equites, Barones, Comites, Marchiones, Duces promovere, quando illorum merita tanto fastigio ferendo essent, hoc certe nihil usitatius fuit. sed REGI pro more debentur Equitum cinctura, Baronum & superiorum dignitatum creatio. nam quantum ad nobiles spectat, vili pretio hic in Anglia fiunt. quisquis enim legibus patriis operam navat, quisquis in Academiis incumbit literis, quisquis artes liberales profitetur, neque (ut verbo dicam) manuum labore vel artificio aliquo victum quæritat; ille, si personam sustinere, & impensas quas solent nobiles facere velit, *Dominus* vocabitur, (quæ vox nobilibus armigerisque tribuitur) & nobilis ipse recensebitur. verum enim est vulgo quod dici solet, *Tanti eris alius, quanti tibi fueris.* quin etiam, si opus fuerit, fecialium Princeps, insignia pretio tibi divendet, quæ tametsi tum primum facta & composita sunt, quasi rem literis diu consignatam, publicarum tabularum crebris revolutionibus ostentabit se reperisse: sin illud

fide-

fide magis integra præſtabit, in hunc modum præfabitur: *Tibi bene merito, eximiiſque dotibus exculto, ob res præclare fortiterque geſtas, pro mea, Principis, fecialium & inſigniorum authoritate, tibi, inquam, tuiſque hæredibus do hæc inſignia.* qua re ſemel confecta puto illum *armigeri* nomine poſſe inſigniri, quando illis poſtmodum utitur inſignibus. Hos interdum per ludibrium novos homines appellitant.

CAP. XXI.

Nobiles creandi mos apud Anglos an improbandus.

DE hujuſmodi nobilium apud nos creatione, ſit necne proba & legitima, diſceptari poteſt. atque, ut ego ſententiam meam dicam, plane opinor vitio carere. namque Principi noſtro incommoda non eſt, quemadmodum in Gallia. in plebeios quippe aut agricolas nihilo plus ex cenſu conſtitutum eſt quam in nobiles. quid, quod, ubi recenſentur hominum facultates, illis majora indicuntur onera? quæ eo alacrius ferunt, ne, ſi velint abnuere, aliquid de dignitate ſua detractum ſibi velle videantur. Immo ubi aliquid repræſentandum eſt, delectus militum habendus, aut ſumptus villæ faciendi,

in partem impensæ majorem veniant, nisi fidem & authoritatem suam labefactatam malint. Quod ad externam illorum speciem attinet, habitus nobili conveniens gerendus est, quo facilius dignoscatur. plebeio aptandus est plebeius, balatronibus denique qui est balatronum proprius. quod si in militiam proficiscendum sit, arma & vestimenta quantivis pretii sibi comparabunt pro illa vitæ conditione quam sustinent. porro animum virilem, insignioris disciplinæ judicia, spiritum acriorem, beneficentiamq; magis profusam exhibere eos oportet. ad hæc alendi ipsis sunt servi aliquot ociosi, qui præterquam quod interdum famulantur, nihil aliud agant. unde sibi ipsis obsunt, si majores pennas nido extendant: alteri sane nocent nemini. nam politiam & imperium reipublicæ nemo ex iis contingit, qui adeo mirifice sibi placent, quique altiores cothurnos induunt quam fortuna fert. id illorum est negotium, quorum ita cognita & spectata fuit sapientia, ut ad tale munus destinarentur; de qua re postea differemus.

CAP. XXII.

De civibus & municipibus.

PRoximus à nobilibus locus civibus iis & municipibus aſſignatur, qui non modo civitatis & magiſtratus jure ornantur, ſed re etiam onera perferre valent. deſervire autem reipublicæ hos neceſſe eſt, in villis, oppidis, aut municipiis ſuis, in quibus habitant. in Comitatibus haud magno æſtimantur, niſi quod ad publica regni comitia, Parlamentum nempe, legum ſanciendarum ergo convocantur. Ex his, quatuor urbes antiquiores, duos oppida deſignant, cum authoritate ſuffragandi urbis illius aut municipii nomine à quo delegantur.

CAP. XXIII.

De plebeiis.

SEcundum Barones, Equites & Armigeros, maximam reipublicæ procurationem obtinent plebeii ; immo plus operæ inſumunt reliquis omnibus: id quod deinceps apparebit. Eum ego *plebeium* voco, quem leges noſtræ *hominem legalem* appellāt, voce in formulis & inquiſitionibus tritiſſima, qui ſtatim ut natus eſt ingenuus eſt, quique ex fundo ſuo quotannis ſummam quadra-

quadraginta solidorum sterlingorum potest erogare, hoc est, si rationem supputes præsentis monetæ, VI libras Anglicanas.

Hoc genus hominum aperte profitetur se nobiles non esse, sed honorem & observantiam omnem illis defert, qui vere nobiles sunt aut esse præ se ferunt. pluris tamen habentur, quam operarii aut artifices, quibus etiam præponi solent. opulenti plerumque sunt, familias alunt, & conquirendis divitiis acriter incumbunt. nobilium villici sunt, pecuniarii, nundinatores, boni patresfamilias, servos pigros & inertes (quod nobiles faciunt) non habentes, sed qui suum ipsi victum & herilis partem aliquam quæritent. ex quo fit, ut prædivites evadant, & nobilium fundos perdite & profligate viventium indies possint redimere. quod si filios suos in Academiis bonis literis aut patriis legibus informandos curaverint, aut reditus satis amplos illis reliquerint, unde absq; eo ut opus manibus faciant commode vivant, mox in classem nobilium eas referunt. *Domini* appellatio, quæ nobilium est propria, in illos non confertur: sed ejus loco nominibus illorum præponimus *Goodman*, quasi bonū virum dixeris. nam si *Lutherus*, *Finchius*,

Vitus, *Brunus*, vocentur, in colloquiis (qui vicinorum mos eſt) boni viri titulo ſinguli cohoneſtantur. quod tamen in magnis negotiis aut in juris formulis uſu non ſolet evenire. in his enim diſtinctionis gratia ſi Eques fueris, in hũc modum ſcriberis: *Dominus Iohannes Finchius eques:* ſi Armiger, *Iohannes Finchius armiger*. ſi denique extra nobilium ordinem fueris, *Iohannes Finchius plebeius.* Armigeri dicuntur, qui tametſi ipſi nobiles fuerint, & in prima nobilium ſerie collocandi, gradum altiorem ſibi non vendicant. Inter agricolas, operarios, infimamque plebeculæ fæcem, qui è vulgi gregibus exempti ſunt, quaſi proprium à nobilibus locum occupantes, plebeii nominantur. Hos Cato ille ſenex, *Aratores* nuncupat, & *optimos cives in republica*, taleſque, quos eſſe plurimos rerumpublicarum ſcriptores laudi ducunt. recenſet etiam Ariſtoteles diſertis verbis hoc hominum genus, qui ſuis rebus ipſi vacant; ad reipublicæ procurationem & ad judicia non accedunt niſi vocati; his ubi liberantur gaudent; nobilibus & præfectis eam præſtant obedientiam quam debent; in bello itinerum laborumque juxta ſunt patientes; quippe qui pro dominis, quibus etiam prædia

ſua

ſua accepta referunt, dimicare conſueti fuerint, pro ſobole & uxoribus, pro patria, pro laude & gloria denique in reditum comparanda, præſertim cum charos ſe ſuis dominis futuros & eorum liberis intelligunt, quando in capitis diſcrimen pro illorum ſalute ſe conjecerint.

Et nobilitarunt iſti Angliam virtute ſua, non quod ingenio, imperio, aut viribus, cum nobilibus eſſent conferendi: ſed quia & numero vincant, & voluptati dominorum auſcultent, & corporis robore polleant, & labores impigre ſubeant, & denique aut præeuntem aut comitantem pleno gradu animoſe ſequantur. lente etenim feſtinant alias, utpote qui rei militaris ſcientiam haudquaquam profiteantur. Hi quondam arcu & peditatu fuerunt perinſignes, Galliæque adeo univerſæ timorem virtute ſua incuſſerunt, potius extrema pro ſe quique perpeſſuri, quam ut per inertiam equitem aut nobilem deſererent, ſub cujus ſigno militabant: qui tunc temporis ut plurimum patronus illorum extitit. id quod etiam admittere nunquam potuerunt abſque ingenti dedecore, rerumque & fortunarum ſuarum diſpendio & jactura, pœnas nimirum meritas ignaviæ &

timiditatis exſoluturi. quæ quidem omnia ſicut à majoribus ſuis acceperunt, ita per manus viciſſim poſteris tradiderunt. Celebrantur apud Anglos plebeii, quemadmodum in Gallia nobiles. mutuis enim cladibus alteri affecerunt alteros, dum hi inde peditatu, inde illi ſuperiores evaſerunt equitatu. Ac nobiles plerique omnes cataphractarii ſunt, & equo merent, plebeii peditum agmen efficiunt, nobiliumque auſpicia ſequuntur. pugnaque inita Duci conſcenſo equo aut pedibus obambulantes, qui mos REGVM Angliæ ſemper fuit, horum copiis ſeſe immiſcent, plane diverſa ab exemplis Gallorum ratione, quorum Reges in bello tutiſſimum facile ſibi locum inter equites conſtituunt: non obſcure (ut facile conjicis) hoc pacto innuentes, quibus uterque plurimum confideret.

Plebeii hominis conditionem facilius intelligas quam etymologiam. Nam ut *Yeoman* eundem accipias cum eo, qui eſt *Youngman*, ratio ipſa repugnat: quando *Yeoman* neminem dicimus, niſi qui uxorem duxerit & liberos ſuſceperit, atque aliquam authoritatem quaſi & exiſtimationem inter vicinos obtinuerit. ſermone Teutonico *Ioncker*, hominem ſplendidum aut

mediæ

mediæ conditionis nobilem aliquem solent designare. verisimile est, nostrates, quum fiduciam generis sui præ se non ferrent, ubi accepissent apud Belgas, inferioris notæ nobiles *Ionckerman* appellari, in acie, quasi per ludibrium aut jocum, invicem sic se appellitantes, postquam domum rediissent, hoc cognomento gavisos fuisse. quæ vox cujuscunq; demum potestatis apud Teutones sit, virum certe nunc apud nos opulentum probeque ex ære suo victitantem, nata est significare.

CAP. XXIV.
De quarta hominum specie, qui non præsunt.

QVarta in classe hominum reponuntur *capite censi, proletarii aut operæ*, (nam illud iis apud antiquiores Romanos nomen fuit) operarii, inopes agrarii, mercatores, propolæ, emphyteutæ, agricolæ fundani: artificum genus omne, sutores, vestiarii, calceolarii, fabri lignarii, laterum coctores, & cæmentarii, &c. istis nullum est in nostra republica suffragiorum jus; neque pluris æstimantur, quam quod in partem veniunt eorum, qui dominio subjiciuntur. tametsi in civitatibus & municipiis, ob defectũ plebeiorum, ex talibus

conſtent XII-virum inquiſitiones. in villis etiam æditui fiunt, & cereviſiariæ bonitatis exploratores, interdum conſtabularii; quod munus, utpote rempublicam propius attingens, ab initio tam humilis ſortis homuncionibus delegatum non fuit.

Quocirca de republica popularius loquentibus ejus adminiſtratio penes tria hominum genera videtur ſtare: Principem Monarcham, ſummum nempe dominum, REGEM puta aut (ſi fœminæ diadema obtigerit) REGINAM, cujus nutu & authoritate omnia reguntur: tum majorum aut minorum gentium nobiles, Regulos ſcilicet & Dynaſtas, qui Baronum ordine comprehenduntur, & quos honore dominorum dignamur, Equites auratos, Armigeros, reliquamque inferiorum nobilium multitudinem: tertium genus è Plebeiis conflatur. horum unuſquiſque in judiciis, cenſuris, magiſtratibus creandis, tributis indicendis, ipſiſque legibus ſciſcendis autoritatem obtinet, id quod deinceps exponemus.

THO-

THOMAE SMITHI DE REPVBLICA ET ADMInistratione Anglorum

Libri secundi

CAP. I.

Leges Regni Anglicani definiuntur in genere, & dividuntur.

LEGES Anglicanæ duabus in rebus maxime versantur: judicio & usu sive praxi.

In illo spectantur { *Persona*, { *Iudices.* *Iure-consultus.* } *Locus*, *Res &* *Modus.* }

In hoc personæ simul cum ipsorum officio occurrunt considerandæ. sunt autem personæ hæ, *tabelliones publici, advocati, & leguleji,* quibus illud incumbit ex officio, ut causas ad sententię examen expediant. *Tabelliones publici,* lites in judicio pendentes in testatum redigunt, actiones instituunt, fori decreta, relationes, & sententias, scriptis consignant. *Advocati*, utpote in juris doctrina bene versati, causam Iureconsultis adornant. *Leguleji* usu & experientia magistra edocti, quis cuiq; foro

conveniat litium persequendarum ordo & modus, formulas inde super clientum suorum negotiis acquirunt; horum postulationibus invigilant, ne per incuriam ex mora damnum sentiant; sportulas & honoraria pro fori consuetudine persolvunt; remque ad judicii calculum subeundum præparant.

Loca, quæ judicio deserviunt, ipsa sunt fora, in quibus leges sententiæque feruntur; Parlamentum, Cancellarii Curia, Subsellia Regia, Acta Forensia, Quæstorium, Pupillorum Curia, Camera Stellata, libellorum supplicum Curia, & Ducatus Lancastrensis.

Ius & æquum ferendis legibus *materiam* suppeditant.

Modus ipse nunc sequitur.

CAP. II.

De Parlamento ejusque potestate.

IN comitiis Parlamentariis posita est omnis augustæ absolutęque potestatis vis. quippe quemadmodum robur & virtus Angliæ dicuntur in acie residere, quia illic cum dynastia cęteraque nobilitate plebeque REX ipse adest: ita quoties in pace de rebus arduis deliberatio inciderit, Dynastæ Regulique præstantioris in republ. partis vice defunguntur; equites, armigeri, nobiles, & plebeii,

reli-

reliquæ multitudinis locum obtinent; cleri nomine conveniunt præsules: mox animam quasi & colophonem addit jussus Principis. Quod bonum felixque Regno totique reipublicæ sit monent, simulque super eo consilia communicant; tum post bene longum deliberandi spatium, ter recitata pro more loci schedula, & in utraque domo rationibus agitata, seorsimque ambarum partium calculis comprobata, Regio demum assensu confirmatur. quodque sic gestum est, Principis & universi Regni factum interpretamur. proinde nullus postea cuiquam oboriri debet querelæ locus; sed quia rescindi amplius non potest, & promulgatis semel legibus omnes tenemur acquiescere, firmum, stabile, & SANCTUM appellamus; & legis apud nos vigorem habet, quicquid hujusmodi consensus perfecerit.

Parlamentaria comitia veteres leges jubent esse irritas, novas inducunt; præsentibus juxta ac futuris modum constituunt; jura & possessiones hominum privatorum commutant, spurios natalibus restituunt; cultum divinum sanctionib⁹ corroborant; pondera & mensuras variant; jus in Regno succedendi præscribunt; incerti juris controversias dirimunt, ubi nihil lege cautum

fuit; censum agunt; capitationes & vectigalia indicunt; delictorum gratiam faciunt; afflictas & majorum sceleribus perditas familias erigunt; vitæ necisque potestatem in eos obtinent, quos ad hujusmodi disquisitiones Princeps avocaverit; atque, ut concludam breviter, quicquid in centuriatis comitiis aut in tribunitiis populus Romanus efficere potuisset, id omne in comitiis Anglicanis, tanquam in cœtu Principem populumque repræsentante, commode transigitur. interesse enim in illo conventu omnes intelligimur, cujuscunque amplitudinis, status aut dignitatis, Princepsve aut plebs fuerit; sive per teipsum hoc fiat sive per procuratorem. nam omnibus peræque gratum esse oportet, quicquid ex Senatusconsulto Parlamentario profectum est, ut quod pro imperio & potestate decernat serenissimorum Principum majestas, Episcopi Regulique, Equites & Cives, qui eo à provinciis & municipiis ablegati plebem referunt.

In legibus condendis aut omnes in eandem sententiam descendunt, aut major numerus, adhibito prius assensu Principis. Qui munus aliquod in comitiis obeunt, sunt Oratores, Scribæ duo, quorum alter domui superiori additus,

alter

alter inferiori, ipsique Arbitri. Oratoris est schedulas quæ in Parlamento exhibentur verbis ornare & proponere. à Rege quippe Reginave huic officio deputatur, tametsi voluntate domus approbetur. Scribæ Parlamento sunt ab archivis, & Senatusconsulta custodiunt, tam quæ prœlo excuduntur, quam quæ propter hominum privatorum utilitates in vulgus non emittuntur. Arbitrium penes illos est, quos domini civesq; peritissimos esse legum componendarum artifices censuerunt super ejusmodi negotiis, quæ in schedulis proponuntur, quæque illorum judiciis dispiciantur.

CAP. III.

De Parlamento habendo modus.

PRincipis accersitu per literas stato die, quasi XL plus minus dierum curriculo interjecto, ad comitia evocantur Duces, Marchiones, Barones, cæteriq; sive Ecclesiastici sive Politici domini, quibus suffragandi jus est. quinetiam rescripta Principis ad singulos provinciarum Vicecomites ablegantur, ut facta in conventu provincialium electione duorum equitum, hi vicibus illorum surrogentur, disceptent, & totius provinciæ nomine sentétiam interponant;

porro

porro oppida urbesque singulæ, quæ antiquitus municipes ad Parlamentum emittebant, sic agere delectum eorum jubentur, ut posthabita cunctatione omni, possint se in primo comitiorum die præsentes sistere. Equites, qui causas provincialium procurant, à plebe nobilibusque designantur, qui stato die in eum finem conveniunt. Quod si cuiquam abesse per id tempus contigerit, illi suffragandi jus nullum est. In plebe eos recensitos volo, qui solidos XL in singulos annos de censibus propriis queant expendere. His itaque in unum coactis, duo, qui plurium calculis fuerint approbati, *Equites Parlamentarii* eligūtur. Consimili ratione ad hoc munus in ipsis urbib⁹ municipes creantur.

Conveniunt in senaculum superius Princeps cæterique Dynastæ trabeati primo comitiorum die, ubi postquam rem divinam fecerint, præsentium nomina in tabulas referuntur; quique vel morbo sontico impediti, aut justis de causis (quas æstimādi arbitrium est) interesse ipsi non possunt, de præsentibus aliquem *procuratorem* sibi adscribunt: unde omnes per se vel per proxeneten suum adesse illic intelliguntur, Princeps inquam ipse, Barones, Archipræsules, Præsulesque, & (monasteriis nondum diru-

dirutis) Abbates, qui suffragium in comitiis obtinebant. Locus, in quem conveniunt, tapetibus & picturis textilibus splendide obducitur, soliumque REGE dignum in medio conspicitur. demissiore in loco à REGE proximus sedet *Cancellarius*, Principis orator & interpres. dextrum latus Archiepiscopi Episcopique, sinistrum Duces & Barones occupant. inter utrumq; ordinem medii sunt consessus judicum, quique sunt REGI ab epistolis, & Cancellario ab archivis, laneis de more saccis insidentes, ut, sicubi de jure controversia oboriatur aliqua, aut de literis quæ hinc inde inter Principes missitantur, deq; iis, quę in senatu geruntur (neq;enim suffragari cuiquam horum licet) apposite respondeatur. atque hoc *superius senaculum* nuncupatur, in quo pro se prius singuli, deinde pro illis etiam, quorum vices repræsentant, ubi ad quæstionem ventum est, consensum dissensumq; suum, PLACET, NON PLACET, quam paucissimis exprimunt. Interea *Equites municipesque Parlamentarii* (id enim illis nomen inditum est, & numerum quasi CCC aut CCCC plus minus hominum conficiunt) in aliud conclave viritim convocantur; qui postquam, cujus provinciæ oppidive mandato rem gerant,

gerant, rite interrogati fuerint, illico virum aliquem idoneum & discretum jubentur eligere, qui *Comitiorum Rogator* sit, eumque coram Principe sistere.

Quo semel peracto, comitantibus universis ad septum quoddam in ima parte supremi senaculi collocatum, ibi Principem commendat, & sibi semper aliquid deesse causatur, quare tanto oneri ferendo impar sit, Principemque rogat, ut illos ad eligendum alterum impellat. Ad hæc Principis verbis respondet Cancellarius, eumque tantum encomiis effert, quantum ipse se vituperando depresserit, gratiasque plebi agit, quod tam prudentem, circumspectum & discretum virum elegerint, & abire interim jubet de legibus pro salute reipubl. deliberatum. Tum *Rogator comitiorum*, plebis nomine REGI supplicat, ut conclave inferius immunitatibus & privilegiis antiquis perfruatur; ut, si libere sententiam in quacunque tandem re disputanda dixerint, REGIA MAIESTAS idipsum non ægre ferre nec propterea succensere dignetur; ut, si forte in illo casu aliquis deliquerit, aut quod dedeceat dixerit feceritq;, aut aliquem eo loci convocatum offenderit, pro vetusta consuetudine, pœnas de illo reposcant; ut, si dubium occurrerit, unde

unde consilio colloquioque REGIS aut Baronum opus fuerit, eo uti liceat: quibus præter fraudem plebis nomine se gavisuros spondet, curamq; insuper eam adhibituros, quam fidos & peramantes in Principem subditos adhibere necesse sit. Cancellarius pro eo ac videbitur verbis regiis respondet. Atque his negotiis sic transigendis unus dies, interdum biduum absumitur.

Præter Cancellarium adest ἀναγνώστης quidam qui schedas legit, ex quo *Parlamentarius* appellatur. quicquid namque in consultationem venit, scripto prius excipitur, dein, utrum antiquanda suffragiis an accipienda lex sit, in utramq; partem differitur. quo peracto, aliæ rursus schedulæ publice recitantur. Quod si quas semel aut bis perlectas esse contigerit, adeoque judiciis illorum nonnihil adprobatę videantur, (adhibita etiam quando opus fuerit aliqua verborum aut sententiarũ castigatione) sciscitatur ab illis Cancellarius, si tabulas ea de re conficere, hoc est, in membranam referre placuerit. ita tertium lecta schedula consertisq; sermonibus agitata, Cancellarius quærit, si rem suffragiis cõmittere velint: & percupere se annuentibus, *En legem super hac* vel illa *facti specie vobis propositam,* inquit,

inquit, *diserteque pro more hujus loci in hac domo promulgatam, velitis jubeatis eam vestro consensu scitam esse & confirmatam, an non?* Diremptis igitur suffragiis ita acceptam improbatamque esse accidit, ut major minorve calculorum multitudo decreverit, &, si in suadenda lege pars major vicerit, statim schedulæ ἀναγνώστης in hæc verba subscribit, SOIT BAILLÉ AUX COMMUNS; cumque opportunum videbitur, hujusmodi schedulas, quibus assensi sunt, per aliquot ex illis, qui saccis laneis insident, ad plebem perferri jubent, qui petita prius venia domum ingressi, ComitiorumRogatorem honorifice sic compellant: *Insignis Domine Orator, Senatui Patribusque authoribus hoc expedire Reipublicæ videtur, ut hoc* vel illud *consultum* (simul summa rerum capita designat) *legis vigorem habeat, vosq; plurimum rogatos volunt, ut mature, quid opus facto sit, in commune consulatis.* Quo dicto confestim abeunt.

Illi ubi discesserunt, rursus opertis foribus, quid dixerint, Orator domui exponit, & nisi aliis negotiis interim distineantur, sententiam illorum super illa schedula diligenter exquirit. Consimili etiam modo sedens in subsellio quodam eminentiore Orator, ubi ab omni-

omnibus spectari possit, scribam suum aut ἀναγνώςlω verius habet, cui id muneris datum est, ut schedas vel in ipso concilio propositas, aut eo à Baronibus ablegatas, renunciet. siquidem utrique domui potestas semper æqua conceditur, quod æquum videbitur proponere, seu novam legem sciscere sive rescindere antiquam voluerint. ter diebus per triduum singulis super recitatis schedulis consulitur, priusquam ad quæstionem deveniatur. Inter differendum consulendumque ratio perinsignis in senaculo inferiori observatur. aperto capite surgens, aliquid ad rem allaturus intelligitur. ubi plures stare cœperint, quem primum stetisse animadvertunt, illum præcipue audiunt, tametsi alius rogatum, alius abrogatum legem venerit. etenim Oratorem quilibet, non alius alium alloquitur, quod præter morem fieret. abhorret quin etiam ab omni consuetudine, ut aliquem saltem nomine designes, (absque eo quod periphrasi interdum denotet; verbi gratia, *Qui suasit dissuasitve, hanc vel illam rationem adduxit*) cujus partes ipse infirmas. atque ita perpetua oratione & non per dialogos interpolata pergis ad exitum usque perorando.

Qui semel orationem habuit (utut statim confutetur) eodem die respondere non potest etiamsi sententiam mutare vellet. itaque bis in die circa idem negotium nemini permissum est verba facere, ne ea fortassis occasione solidum diem altercando duo obstreperi consumerent. postero die licet, sed & unica tantum vice. opprobria aut dicteria invicem ejaculari fas non est, id præter usum esse reclamantibus universis. quinimo ipse factum observavi, eum qui verbum immodestius aut concitatius adversus Principem aut Senatum effutiverit, non interdici oratione modo, verum in turrim confestim abripi. unde in tam conferta multitudine & in tanto animorum & voluntatum dissensione haud temere parem sermonis parsimoniam modestiamque reperies. nihilominus blanda comique oratione rationes suas pro eo ac possunt ac res postulat vehementesque instituunt.

A meridie comitia amplius non habentur. Oratori nulla est perorandi potestas. cæterum ubi semel lecta est schedula, quam brevissime simplicissimeque eam enarrat. id muneris ad eum pertinere omnes arbitrantur.

Si populus ratum habuerit, cujus patri-

patricii autores extiterunt, tali ſubſcriptione confirmatur: LES COMMVNS ONT ASSENTÉS. viciſſim, ſi Senatus id ratum habuerit, cujùs populus author fuerit, communi calculo conteſtatur: LES SEIGNEVRS ONT ASSENTÉS. quando Senatui Populoque idem non convenit, deliguntur ex utraque domo nonnulli, qui ſuper propoſita quæſtione diſceptent, mutuoque ſententias ſuas exponant. tum poſtea alter alterius opinioni ut plurimum adſtipulatur.

In concilio ſuperiore vota ſua pro ſe quiſque facit, atque eorum nomine quorum vices quiſque ſubit. ubi Cancellarius quæſivit, num rem ſuffragiis tentari velint, poſt renunciatam ter ſchedulam, PLACET, NON PLACET, aſſerentibus ſingulis, abſque diſputatione uberiore prout pluribus viſum fuerit, ſic pergitur. In ſenaculo inferiore nulli ſive equiti ſive municipi electo ſuffragium ſuum alteri conferendi jus eſt. eorum qui præſentes adfuerunt ratio ſolum habetur, apud quos pars major ſemper obtinet. renunciata bis (pro more) ſchedula, ſcriptis deinde conſignata, repetita poſtea & ſatis agitata, Orator percontatur, an caput negotii punctis & ſuffragiis cerni expetant. ubi annuerint, ſublata in manibus ſche-

dula ait: *Quotquot petitioni adquieverint abnuerintve, clare affirmanto.* tum, quibus arridet legis promulgatio, ETIAM; quibus displicuerit, NON vociferantibus, è majore acclamatione vel de antiquata lege vel de accepta cognoscitur. quod si adhuc nõ satis constet utra pars vicerit, diremptis mox suffragiis, Orator interloquitur: *Qui legem sciscendam censetis, descendite, & qui non ferendam, accumbitote.* hinc secernunt se in partes, & pro suffragiorũ numero legis postulatio valet aut rescinditur.

Usu venire interdum solet, ut parte aliqua schedulæ comprobata, super altera dubitatio suboriatur, quæ si eximeretur, perpaucos foret habitura adversarios. quamobrem arbitros ex utraque hominum classe, tum qui ferendam, tum qui non ferendam judicaverint, ad colloquia seponunt, qui super ea re amplius cognoscant, quique difficultatem omnem amoveant, & deinceps ejus rei sicuti gesta est formam ad cæteros referant. qui tametsi maxime inter se conspirent, reliquæ domui præjudicium nullum afferre possunt. nam postrema promulgationis vice (arbitrorum consensu haud quaquam obstante) ratum id illi pro libito irritumve habebunt.

Itaque

Itaque hoc pacto fit, ut nulla promulgatio, Decreti, Constitutionis, aut Edicti Parlamentarii, vim sortiatur, donec utraque domus assensum præbuerit. immo neque hactenus subsistit, nisi PRINCEPS ipse, ultimo consessus die, augustam purpuram indutus, & frequentissima nobilium corona stipatus, Oratore una cum universo populi cœtu ad septum accedente, & summas gratias simul cum Cancellario Senatus Populique nomine referente, pro eo quod tantam Reipublicæ administrandæ rationem PRINCEPS habuerit, & ad ardua status universi negotia constabilienda reformandaque ipsos convocaverit, assensu suo confirmet.

Ibi vero Cancellarius regiis verbis Patritiis cæteroque Populi cœtui gratias agit ob fidem industriamque in publicos usus erogatam, quibus, ut quæque fert occasio, se responsurum promittit, simulque se paratum esse, qui justam animi sui sententiam transactis in Parlamentaria convocatione negotiis accommodet, quo animam quasi vitamque ab authoritate Regia & unanimi Regni sponsione emanantem statuta hauriant. Tum cujusque Constitutionis caput & titulus hac

quasi forma recitatur: DECRETUM EST, &c. DECRETUM EST, &c. simulque observatur, quod PRINCEPS dicto comprobet. nam in hujusmodi sic ait: LE ROY aut LA ROYNE LE VEULT. habenturque tum consummatæ Regni Anglicani Constitutiones, & quam fieri potest opportune typis excuduntur, nisi in eo genere sint, ut apud Romanos, quæ privilegium aliquod cuique privatæ personæ indulgent. solent enim ista exscribi solum & Parlamentario sigillo communiri. Quibus PRINCEPS derogatum vult, haud pluribus verbis utitur, quam LE ROY aut LA ROYNE S'ADVISERA; quæ propterea extincta penitus abolitaque censentur.

Hæc est præscripta supremæ augustissimæque totius Angliæ Curiæ forma, cujus authoritate, quod antea monui, cuncta apud nos confirmantur, quæ recensui hactenus. neque alius aliquis modus superest, quo vel vitam, membra aut fundos cujusque hominis Angli quisquam eripiat, nisi aliquid prius in ea causa sancitum fuerit. Nunc age, de partibus seorsim consideratis paulisper, si placet, disseramus.

CAP.

CAP. IV.
De Monarcha, Rege Reginave Angliæ.

PRinceps (quem ego nunc & antehac ſæpius Angliæ Monarcham appello) REX REGINAve ſummam pacis bellique denunciandi poteſtatem habet. bellum indicit, fœdus aut inducias rurſum paciſcitur, vel ſuo vel conſilii ſanctioris arbitratu. *Sanctius conſilium* è Nobilibus, Baronibus, Equitibus, Armigeriſque, prout libet, colligit, qui in dies ſingulos aut quoties neceſſitas poſtulat ſuper graviſſimis regni negotiis deliberatum conveniunt, ut deinceps Principi quam optime conſulant. quibus ille ſi videtur aut univerſis aut aliquibus ſumma legationum capita ab exteris Principibus profecta exponit; literas ad ipſum aut ad eos qui ipſi ſunt ab epiſtolis ſuis ablegatas communicat; in utriſque quicquid tacitum vult apud ſe ſolum retinet, tametſi interim ſacramento conſiliarii obligentur, quotquot in illum cœtum cooptantur. Qua in re abſolutiſſimum eſt præ Venetorum ducatu aut Lacedæmoniorum principatu hoc Regnum Angliæ.

Militiæ quoque & in caſtris Princeps abſolutam poteſtatem nullis le-

gum repagulis coërcitam habet. ejus placita vim legis sustinent. sine aliqua processus judiciarii formula, hos morte mulctare potest, illos pœna; ubi quid deliquerint, corporis quantumlibet castigare. Vsurpari quoque interdum ista suprema authoritas solita est, antequam belli facies se aperuerit, in subitis nimirum rebellium motibus, sed bonis & cordatis viris parum approbata, qui malum talis exempli exitum animo prævidentes, lege potius quam armis litem decerni voluerunt. Absoluta hæc potestas *Castrensis* appellatur, quia semper fuit eritque apud militum turmas oppido necessaria. nam quid facias obsecro, ubi tempus locusque, telæ judiciariæ moram non ferunt, & ejusmodi se exhibet negotium, quod vindictam flagitat, ut miles debito obsequio cultuque contineatur? absque quo rem Imperatorum quisquam haud magni momenti unquam perficiet.

Ab authoritate principali pendet publica monetæ æstimatio, quæ ejus imagine tituloque excuditur. forma, pondus, argenti puri aut impuri fusio, ad nutum etiam solius Principis spectant. nam cui tandem plus quam Principe fidem populus adhibeat, quan-

quando pecunia signata metalli pretium & pondus nata est demonstrare, quod effigie ipsa & nota Principis satis indicatur? quod si populum dolo circumvenire, & pro auro aut argento aurichalcum exhibere, aut supra justum pretium nummos augere velit, ipse fallitur, dum alios per fraudem decipere machinetur. eadem quippe ratione census & reditus suos refundunt, & illum denique ad cariorem annonam adigent, sic ut debito talento inæqualis proportio compensetur necesse sit. est enim recta & definita inter copiam & egestatem rerum habitudo, quemadmodum in pecuniis ipsis.

Cætera mensuræ genera sive aridorum sive liquidorum, non edicto Principis, sed Senatusconsulto Parlamentario conformari aut mutari consueverunt.

Potestatis Monarchicæ leges relaxandi jus est, ubi æquitatis benignitas moderationem patitur; quin & gratiam pœnæ in delictis faciendi, ubi ad fiscum res spectare dignoscitur. cæterum in actionibus publicis aut popularibus, ubi inter Principem & delatorem per partes mulcta adjudicatur, suam duntaxat remittit. quando actio criminalis per viam inquisitionis intenditur

(quod hodie *ad instantiam Principis* dici solet) sub hujusmodi formula reo condonatur, *modo stet rectus in Curia,* id est, *dummodo delinquenti in posterum nullus objiciat aliquid.* quo fit, ut, quamvis indulgentiam à Principe nactus fuerit, si tamen is qui damno affectus fuerit personam accusatoris sustinere voluerit (Anglice vocatur *the Appeale*) quod in quibusdam casibus admittitur, impunitatis concessio nihil conducat.

Abs donatione Principali emanant primaria & suprema *Officia & Regni Munera*, tam ad judicia, quam ad dignitatem, sive ad clerum denique aut populum spectantia. quinetiam decimas & primitias proventuum Ecclesiasticorum Princeps percipit: exceptis Academiis, & collegiis quibusdam.

Formulæ etiam omnes, sive brevia, sententiarum executiones, mandata, à regio nomine proficiscuntur.

Et in Anglia (sic loquimur) subditorum vita & membra ad solum Regem pertinent. id si explices, perinde est ac si dicas; jurisdictio modica ne dum maxima cuiquam præterquam REGI competit nemini. indeque opinor natum, quod quoties pro vita aut membrorum mutilatione aliqua causam in judicio

judicio dicimus, *coronæ jura* tractare perhibemur, quando in alterius nomine, quam qui coronam regni gestat, talia fieri nullo modo possunt.

Similiter ignoscendi potestas Principum nostrorum est peculiaris, tametsi anteactis temporibus Palatini Comites quidam, Cestrensis, Dunelmensis, Elyensis, & limitanei VValliæ Reguli, hoc ad se jus attraxerunt, quorum potestas hodie omnis evanuit.

In Principis peculio tutela pupillorum pupillarumque est. Neque ejus injussu nuptias contrahunt, qui fundos fiduciæ contractæ nomine concessos ab eo in capite (ut cum Iurisconsultis loquar) occupant. Præterea custodia idiotarum morbique vitio insanientium omnium ad ipsum pertinere dignoscitur. Hoc per consensum trium ordinum in Comitiis Parlamentariis semel impetratum, (tametsi mali nonnihil in rempublicam invexisse adeoque ab omni ratione alienum esse existimatur) regnique imperiali diademati connexum, dissolvere tam quisquam potest, quam clavam è manibus Herculis extorquere justeque administratum non hercle video quid secum afferat incommodi.

Superfunt etiam hujus ordinis consimilia

ſimilia jura privilegiaque, quæ *Regalia* appellantur, quæ in codicibus Iureconſultorum noſtrorum uberius referuntur.

Atque (ut rem conficiam) vita, caput, & authoritas in principe eſt omnium, quæ in republica Anglicana geri ſolent: neminique major cultus aut reverentia, quam ANGLIAE REGIBVS exhibetur. Eum nemo alloquitur, niſi in genua procidens: nemo inter epulandum in menſa miniſtrat, niſi ſub ſpecie adorationis quaſi: omneſque regni incolæ coram eo capita aperiunt. immo in *Camera præſentiæ*, ubi auguſtum curule collocatur, nullus ambulare, nullus (etſi abſente REGE) ibi loci permanere, niſi nudo capite unquam audebit, præſertim regni ſubditus. nam exteros advenaſque pro more gentis ſuæ facile excuſamus; id quod ab humanitate noſtra profectum eſt.

Additamentum.

SEcundûs à Rege eſt filius ejus primogenitus; qui veteribus Anglo-Saxonibus *Ætheling* & *Clyto* dicebatur. Poſt Normannicam victoriam primo nullus certus titulus fuit attributus, quam *filius Regis*, & *primogenitus Regis Angliæ*: dein Eduardus I, filium Eduardum

dum *Principem Walliæ* & *Comitem Cestriæ* dixit; Eduardus porro II Eduardum filiolum decennem *Comitem Cestriæ & Flint*; qui regno potitus filium item Eduardum *Cornubiæ Ducem* creavit: (Ex quo tempore primogenitus Regis Cornubiæ Dux natus censetur:) pauloque post, eundem *Principis Walliæ* titulo solemni investitura adornavit. Ex hoc successores Regni destinati Principes VValliæ nuncupati fuerunt. Donec tandem, Anglia & Scotia in unum coalescente, Iacobus Rex Henricum filium *Principem magnæ Britanniæ* appellaret.

CAP. V.

Quibus in rebus respublica à se maxime invicem distent.

POstquam igitur de Parlamento satis disseruimus, in quo omnis regni vigor, hoc est, REGIS, Senatus, Populique, repræsentatur, deque REGE ipso, anima nimirum, & summo Reipublicæ gubernatore; jam, quemadmodum ab hoc fonte emanet in cæteros artus vis & potestas ad rempublicam in diversis partibus bene temperandam, opportunus hic est (ut mihi videtur) enarrandi locus.

Principio rerumpub. omnium commune

mune eſt, ut quinque potiſſimum in rebus vel ſibiipſis conveniant, vel cum aliis comparatæ diſſideant. I. in legibus nimirum ſanciendis. II. in bello gerendo aut in fœderibus cum hoſte feriendis. III. in cenſu publico procurando. IV. in magiſtratibus creandis. V. & in juſtitia denique adminiſtranda. Primum tertiumque ab ipſo REGE in Parlamento, ſecundum & quartum ab ejus abſoluta ſolum authoritate peragitur. Supereſt ut quintum explicemus.

CAP. VI.

Tres eſſe judicii formas in Anglia.

EX uſu patrio & Angliæ conſuetudine invaluit, ut tribus potiſſimum modis ſententiæ quæ ſummum controverſiæ finem imponunt pronuncientur: in comitiis Parlamentariis, in certamine ſingulari, & in juridicis conventibus.

CAP. VII.

Iudicium Parlamentarium.

MOdus ſententiæ in Parlamento ferendæ, ſive inter privatos ſive Principem inter & privatum, ſive civiliter agatur ſive criminaliter, ſuper hereditatem an ſuper feudum lis oriatur,

ne latum quidem unguem ab ea, quam modo dixi, ratione discrepat. nam litis summa paucis in schedula comprehensa, ter in domo renunciatur, cui Senatus Populusque assensum præbent, denique ultimo accedit adstipulatio Regia. Cæterum rara est hujusmodi schedularum, ut illic transigitur, adprobatio. nam augusta illa Patrum Municipumque corona, quum multis gravibusque regni negotiis avocetur, privatorum litibus & controversiis haud lubenter vacat.

CAP. VIII.

Iudicium ex duello.

DVellum nunc dierum non admodum frequens est, partim refragantibus Papa cleroque, & tanquam scelestum quid execrantibus, (quibus elapsis retro seculis, clientelam obsequiumque diu exhibuimus) partim quoniam, ut sermo, sic mores, judiciarii processus figura, quæque in judiciis adhiberi solent, hoc habent, ut cum tempore indies commutentur. sed tamen in desuetudinem penitus abivisse, nondum potui intelligere, & propterea emortuum non sentiet esse, ubi quis efflagitaverit. Forma in Britoni Commentariis refertur.

CAP. IX.

Iudicium inquisitionis sive duodecemviratus: de tribus partibus ad judicii constitutionem pertinentibus.

PRiores illæ duorum judiciorum species absolutæ plane sunt, neque per appellationem rescinduntur, quemadmodum neque ea, quæ per judices in conventibus suis explicatur. quandoquidem vero judicandi forma, qua hic in Anglia utimur, non parum ab ea est diversa, quæ vel in Gallia, Italia, cæterisque locis, ubi civilia Romanorum jura vigent, usurpantur; non abs re alienum fuerit, extra propositum negotium aliquid adjicere, quo quæ à me dicentur postea facilius intelligantur.

Actiones Anglice *Pleas* appellamus, & parum Latine *placita*, nomen ex abusu trahentes. nam eam demum sententiam, quæ rem universam definit, multo verius *placitum* aut δόγμα dixeris. quod Galli recte intelligentes, suprema judicum suorum decreta sua lingua *arreste* aut *arrest* vocant. sed nos actionem ipsam *placitum* dicimus, non sententiam; & *placitare* satis ineleganter pro agere aut litigare.

Sed duorum, qui in omni judicio solent

ſolent contendere, alterum actorem, & in cauſis criminalibus (ſi accuſatorem ſe profiteatur) *partem appellantem*, ipſumque accuſationis negotium *appellationem* dicimus: alterum, (qui excipit) *reum*, &, ſiquidem criminis alicujus arceſſitus fuerit, *captivum*: neque enim alia ratione licebit cuiquam cauſam agere, niſi prius ſe captivum dedat. Iudex apud nos *Iudge* dicitur. Sed tamen eos, qui ſententiam capitalem pronunciant, quique reum aut abſolvunt aut condemnant, judicum nomine non inſignimus, ſed duodecemvirum; qui mos etiam in negotiis civilibus juxta ac criminalibus peræque obſervatur.

CAP. X.
De Actionibus.

Actiones, aut verius accuſationes, *Coronæ Placita* vocantur, ſuntq; ejuſmodi omnes, quibus vitæ periculum aut membrorum damnum cuiquam intentamus: &, ſi rem ipſam altius introſpicias, haud vanum nomen illis inditum reperies. Etenim, ſi apud te cogites, atque in animum tuum inducas, vitam corpuſque tuum in arbitrio & poteſtate principis legumque eſſe poſita, quoties fit ut ſubditorum

aliquis vita ſpoliatur aut male mulctatur, protinus ipſe REX damno afficitur, & juſtam habet inquirendi cauſam, quo pacto ſubditus ad id infortunium devenerit. rurſum, quoniam ſollicitudini Principis incumbit, ut rempublicam ſibi concreditam bene regat, vitam opeſque ſubditorum tueatur & defendat. qui contra fecerit, & per vim pacem interturbaverit, in commiſſum incidit: ideoque ubi quis ex ſententia duodecemvirum ſic deliquiſſe cenſebitur, tum ad Principem res ſpectare incipit; & quiſquis pro captivo cauſam dixerit, increpabitur, tanquam qui adverſus Principem peroraſſet. Nihilominus captivo permiſſum eſt, ut omnes rationes & exceptiones afferat, quæ ad cauſam ſuam ſuſtinendam maxime valent: dumque pro ſe agit, attente benevoleque interim audietur. ſed ubi alicujus criminis reus poſtulatur, patronum aut defenſorem (quem tamen in civilibus negotiis, utputa pro fundis, cenſu, jure aut poſſeſſione, etiam adverſus Principem, litigans foret habiturus) nullum conducet.

Actiones civiles bifariam dividunt. nam in rem vel in perſonam intenduntur. *Perſonales* ſunt contractus, injuriarum actio. *Reales* aut poſſeſſionem attin-

attingunt, aut possessionis tuendæ gratia inventæ sunt, aut *in ipsam rem* quas nos *juris formulas* appellamus. nam quod ex jure Quiritium actio formulaque patrio sermone *Writte* dicimus, morem Græcorum etiam in hoc imitati, qui verbum verbo reddentes nominant γραφὴν, id nos *breve* sed invenusto vocabulo nuncupamus. & veluti veteres illi Romani, actiones alias ex jure Civili, ex jure Prætorio alias (Prætor siquidem dabat actiones & formulas actionum) derivabant: ita apud Anglos consimilis plane est mos. est enim ubi è *Cancellaria*, est ubi è *Curia communium Placitorum* & *subselliis regiis* desumi soleant.

CAP. XI.
De præcipuis Tribunalibus & Curiis.

HIstorias veteraque Regni monumenta non incogitanter perlegenti occurrit, curias & fora antiquitus, Regum præsertim, à *Gulielmi Rufi* temporibus aut non ita multo post semper in Comitatu fuisse. quod ubi molestias sumptusque populo creasset, Senatusconsulto decretum est, ut judicia loco fixo stabilique dehinc celebrarentur, longoque tempore in *aula West-*

monasteriensi haberi consueverunt, quam ille Palatii sui aulam exædificaverat. ibi Tribunalia visuntur tria. ad dextram, ubi limen ingressus fueris, *Curiam communium Placitorum* aspicis; illic civiles causæ perorantur. hinc ubi ad extremum perveneris, *subsellia regia*, in quibus negotia criminalia quotidie tractantur. lævaque inde supremus Angliæ Cancellarius sedet, archivorum regis custode cinctus, cæterisque Romanæ jurisprudentiæ Antecessoribus Cancellariæ magistris; Latine fortassis haud incommode *Assessores* interpreteris.

CAP. XII.

De temporibus, in quibus jus dicitur: de Cancellario Angliæ & Cancellaria.

SVbnasci potest interim prima dubitatio, quomodo Anglia universa in maximam longitudinem latitudinemque protēsa, tot Comitatus provinciasque in se complectens, coram tribus Tribunalibus negotia sua possit expedire? altera, quum *subsellia regia* in causis criminalibus cognoscendis, *communiumque Placitorum Curia* in civilibus agitandis exerceantur, quis reliquus sit Cancellariæ locus?

Quod ad priorem quæstionem attinet,

net, eo magis videbitur difficiliore enodatione perplexa, ubi fora non semper, immo neque per anni trientem aperta dixero. cæteris enim civitatibus & rebuspublicis ad forum judiciaque (unas ferias, messem vindemiamque, si exemeris, aut urgentem aliquam per quam recludi ea necesse sit occasioné, quod *Iustitium* appellant) patentibus, contra apud nos rarissime aperiuntur. id quod quatuor duntaxat anni vicibus (quas *terminos* appellant) fieri consuevit: circiter decendium à festo Michaëlis per v aut ad summum vi septimanas: elapso ab ipsis natalitiis mense, hebdomadas iii: diebus xvii à festo resurrectionis interjectis, tres septimanas & dies residuos: ultra sextiduum denique aut septiduum plus minus à sabbatho Trinitatis, duas septimanas & dies reliquos. extra hanc descriptam temporis periodum nulla est vel causas dicendi vel actiones in quenquam intendendi præbita consuetudo. Hoc perexiguum temporis intervallum, & ad unum locum destinatum, populo perquam injuriosum videatur, qui justitiam tam lente exhibendã sine gravissimo dispendio expectare non potest. Huic ego objectioni deinceps accuratius respondendum statui. interea loci

responsum illud Catonis obstrepentibus os obturavit, quod ille roganti cuidam, ut fora perinde ac theatra linteo velamine contegerentur, quo actores reique causis commodius absque sanitatis suæ præjudicio (Solis quippe radiis in capita eorum Romæ ferientibus) perorarent, *Nequaquam vero,* inquit Cato. *nam quod me spectat, optarem potius, ut qua ad forum iter est, ferreis muricibus inductum esset, ut ferramentis illis acuminatis tam dolerent pedes quam caloribus ardeant capita:* ociosos nimirum eos arbitratus ardeliones, & reipublicæ infestos, qui contentionibus adeo studerent. nam qui laboribus & paci se darent, lites domi magis vicinorum & cognatorum arbitrio extinctas mallent, quam pecunias suas procuratoribus & advocatis (quos nos legum consultos & servientes dicimus) impendere. eos ille cives reipublicæ utiles duxit, qui domesticis negotiis invigilant, non qui formulas sectantur, & texendis litibus incumbunt, homines quantavis miseria & incommodo digni.

Ad alteram de Cancellaria propositam quæstionem sic habeto. Leges nostræ, quæ jus patrium sive municipale dicuntur, quasi jus civile dicas,

cas, ἀκριβοδικαίῳ, quod jus summum interpretamur, nituntur; earumque ἀξιώματα ita rigide sumuntur, ut à vocum tenore discedendum non putent. quocirca uti illud auxilio Prætoris indiguit, qui jus summum moderari potuit, actiones ubi deficiebant concedere, pro re nata scriptæ legis duritiem mitigare, exceptiones metus, doli mali, minoris ætatis, veluti remedia suppeditare, æquum bonumque conservare: ita idem est Cancellariæ nostræ munus & officium: & eandem prorsus authoritatem, quam Prætor ante Cæsaris ætatem habuit, obtinet. & actionem in Curia Cancellariæ exhibenti (enarrato prius quod perpessus est incommodo) perinde atque in foro solemni succurritur. quoniamque omni ope ex præscripto legum municipalium destituitur, Cancellario humilem in modum supplicat, ut secundum quod æquum bonumque videatur ei prospiciat. ideoque Cancellariæ Curia apud vulgus, *conscientiæ Curia* audit. neque enim Cancellarius præduræ verborum in legibus structuræ astringitur, sed ex æquo & bono & ex arbitrio boni viri judicat. atque in hoc foro vulgaris agendi causas forma in usu non est, sed ex scripto, quemadmodum in

aliis etiam regionibus & ſecundum jus civile: neque duodecemvirum ſed teſtium fide res examinantur. Hinc emanant quaſi ab ipſa Principis perſona *Brevia* quæ vocantur *Originalia*, quorum forma modusque copioſe in codice *de natura Brevium* declaratur. hinc delegationes, diplomata, indulgentiæ, inquiſitiones. Huic foro præſidet Angliæ Cancellarius. adſeſſores ſunt archivorum cuſtos, & VI magiſtri Cancellariæ, qui plerique omnes Doctores ſunt juris Civilis, &c.

CAP. XIII.

De judicibus, formaque jus dicendi reddendique apud populum Anglicanum uſitata.

E Numero Iureconſultorum aut ad legem ſervientium (cauſidici vocantur aut advocati) duos doctrina, ætate, prudentia & uſu rerum ſpectatiſſimos REX eligit, (quorum alter juſtitiarius principalis *Regiorum ſubſelliorum*, *communium Placitorum* alter) cæteroſque ad numerum uſque ſenarium & interdum ſupra. qui à Principe honorarium habent. Faſtis diebus, & diſtinctis ſubſelliis diſcumbunt. ibi de omnibus negotiis quæ coram afferuntur cognoſcunt: & in civilibus, utpote in cauſa pecu-

pecuniaria, fundo, possessione, scripto partim, partim advocatorum concertatione eo usque proceditur, donec causæ jugulum petitum fuerit, quod Latini *statum causa*(contestationem litis non intelligo, sed, uti apud Rhetores, constitutionem) nos exitum causæ dicimus: siquidem ibi locus est, ex quo omnis exit quæstio; consimilem plane in modum, atque aqua arcto vase conclusa inde per foramen exilit. illum punctum si dextre tetigeris, dicto citius tollitur omnis conflictatio. Duplex autem est statuum genus. alterum in facto, in jure alterum cernitur.

CAP. XIV.
De subselliis Regiis.

SVbsellia Regia (vulgo *Bancus Regius*) ex eo sortita sunt appellationem, quia ibi ipsi Angliæ REGES sedere consueverunt; causæque omnes Coronam attingentes, quæque ad instantiam REGIS fiunt, ibi expediuntur. In hoc foro judicat principalis Angliæ justitiarius una cum reliquis adsessoribus & collegis suis,&c. *qui plerumque quatuor, aut paulo plures, prout Regi visum fuerit.*

CAP. XV.

De Curia actionum civilium.

COmmunium *Placitorum Curia*, in qua disceptantur privatorum hominum lites ex quacunque juris nostri parte natæ, idcirco sic dicta est, quia exactæ legum municipalium administrationi subservit. Ei foro principalis (ut loquimur) justitiarius, *(vulgo Capitalis justiciarius communium placitorum)* una cum tribus adsessoribus præest. Servientes ad legem, quorum est pro REGIS arbitrio major minorve numerus, omnes sacramento obligantur ad præstandum operam & consilium consultoribus suis in hac Curia litigantibus. ET CAETERA.

CAP. XVI.

De quæstione duplici { *facti &* / *iuris.*

SI quæstio juris existat, id est, si utraque pars litigantium super facto conveniat, asseratque ita ad se rem pertinere, ut in ea semper jus suum persequi cupiat, tum in jure *a Demeurer* sive *ἀπορία* dicitur.ubi, si anceps aut perplexa ipsis judicibus quæstio videatur, ut in *scaccarium* veniat disceptanda, judi-

judices eo conveniunt; eorumque responsa & decreta legis vigorem obtinent, ac pars adversa in perpetuum causa cecidisse judicabitur. quod si inter *servientes ad legem* aut causidicos in dicendo jure quæstio aliqua non perinde difficilis emergat, tum judices (de quorum peritia non ambigitur) procedendum esse monent. quod si in eadem porro salebra hæserint, & nequicquam progrediantur, intentata actione excluduntur, reusque impune discedere permittitur. atque hoc obtinere solet, quoties super aliqua in jure controversia oritur dubitatio. imo etiam obtinet, si super jure nulla suboriatur quæstio, ubi secundum materiam in libello, exceptione, replicatione, triplicationeque contentam, judex negotium confestim expedit. & moris est, ut in facto, quod negari non potest, ambo consentiant. nam si factum aliquod infectum esse inficiatur: verbi gratia, quod tale aliquid non scripserit; quod adversarius ad talem parentem genus suum non refert, per quem rei vindicationem ad se pertinere asserit; aut quod instrumenta talia non sint probatæ fidei; quod sibi prius donatum est tale aliquid quam alteri; aut si alium hujusmodi obicem aliquem objecerit,

qui

qui actionem possit excludere; reusque super eo litem contestetur (hoc cardo causæ dicitur) moxque ita omnis quæstio in jure subticescat: tum prout super illa facti quæstione Duodecemviri pronunciant, ita litigatorum alterum necesse est causa sua cadere. sic præter morem juris civilis (ubi primum per testes, indicia, torturas, facti veritas exploratur, deinde super jure ab advocatis in foro disceptatur, quorum celebre est axioma illud: *Ex facto jus oritur*) hic in Anglia coram judicibus de jure primum instituitur disputatio, & omnes fere actiones, sive capitales sive civiles fuerint, eo referuntur, donec tandem ad factum aliquod perveniant; quod ut examen Duodecemvirum subiverit, damnum in causa aut victoria sequitur. Quod si exceptionum copia eorum alter abundaverit, quæ negotium principale perimere possunt, unam è multis seligere eum oportet, quam persequi voluerit: quam nisi plene comprobaverit, aliam deinde non licet iterum proponere; sed victus victori condemnabitur.

Qua quidem ratione ipse, qui in Gallia & alibi quoque gentium, edicta, ordinationes, telam judiciariam abrum-

rumpendi causa constituta viderim, hercule sapientius aut justius nondum à quoquam excogitatam invenio. Illis forsitan, quibus modus iste inusitatus est aut inauditus, non perinde complacebit;quare à mea sententia facile discedent. sed perpensa melius re, quin æquissimum judicaturi sint, nihil dubito. Hactenus, qualem in statu juris decidendi modum observamus, docuimus: superest ut quo modo in facti quæstione procedendum sit nunc subjiciamus.

CAP. XVII.
De Vicecomite, & fisci sive ærarii Curia.

ROmani veteres, ut magistratuum jussa & mandata melius exequerentur, lictores, viatores, accensos suos, habuerunt. jus civile ex eo tempore alios sortitum fuit. sed magistratuum aut judicum jussa hic in Anglia plerumq; per Vicecomitem executioni mandari solent. Vicecomitem, qui Comitatus procurationem suscipit, Quæstorem provinciæ interpretamur. ad illum spectat, omnia vectigalia capere, atque acceptorum rationibus in fiscum reddendis teneri. Fiscus Principis aut ærarium publicum (linguaque mihi

mihi plane incognita *Scaccarium*, quod nonnulli primis temporibus *Statarium* dictum autumant) perpetuus & stabilis locus est, in quem censuum & redituum Principalium, tam quæ ex patrimonio proveniunt, quam qui aliunde solent obvenire, qualia sunt telonia, vectigalia, decimæ, decimæ-quintæ, indictiones, capitationes, &c. referuntur.

Rationibus reddendis præsunt tribuni ærarii, quorum sub imperio *Rationales* constituuntur. sed illi Principem in hoc negotio locum obtinent, dicique possunt *Iuridici Rationa'es*. Anglice Barones de Scaccario appellamus. Inter eos qui præsunt, est Tribunus, aut Iuridicus rationalis primus, aut Baro primarius, una cum aliis sibi assidentibus, Cancellario scaccarii, Camerariis duobus, Procuratore generali. Supremus Angliæ Quæstor, aut tribunus ærarii maximus, cæteris præest omnibus. illi pecunias publicas & thesaurum regium custodiendi cura incumbit. illi plurimi inferiores ministri (quos ipse assignat) in calculis subducendis subjecti sunt, tam in taberna monetaria, quam in ærario &c. Cancellarius proquæstor est, & Curiæ præsidet. ipse officiarios etiam nonnullos suo arbitratu

tratu constituit. Tribunus ærarii vel Baro principalis de causis omnibus ad hanc Curiam pertinentibus cognoscit, reliquos tres Barones assessores habet. Procurator generalis vel ærarii, quodcunque ad REGEM jus spectat, tuetur; locationum formulas, petitionum & causarum omne genus, quod in hoc foro disceptatur, recognoscit. Sunt alii præterea procuratores, qui actorum litibus promovendis inservire solent. Supersunt duo monitores, Pipæ (scilicet vocantur) clerici duo, decimarum & primitiarum duo. Monitores archivis ærarii præsunt, decreta & judicum placita tabulis excipiunt. Principi unus, supremo Quæstori deservit alter. Clerici Pipæ (ut vocant) chartas locationum componunt. Illi in se recipiunt rationes Vicecomitis computandas. accipiunt quoque literarum obligationes, aliarumque satisacceptionum indices. In loco primitiis recipiendis destinato numerantur ab Episcopis, Decanis, cæterisque viris Ecclesiasticis, quæcunque ex jure primitiæ debentur. Alii etiam officiales sunt, qui pecunias numerant & colligunt. Et quæ in hoc foro tractantur, ejusmodi sunt, quibus mulcta impingitur; qualia sunt, alienarum possessionum

sionum per vim occupationes, fundorum absque Principis venia alienationes, bonorum publicatorum actiones; & in hac Curia rationes, expensæ, solutiones vectigalium regiorum pertractantur. Quorum res hic agitur, in jus per formam citationis, quæ *sub pœna* dicitur, vel per statorem vocantur.

In hac Curia quadruplatores etiam causas suas instituunt, quibus (ubi vicerint) lucri pars aliqua adjudicatur. Lites omnes pro more legum Anglicanarum deciduntur ex Duodecemvirum sententia.

Qui Comitatus procurationem suscipit, vulgo Latine Vicecomes dicitur, quasi vicarium Comitis aut Procomitem dicas, capessens ea mandata & jussa tribunalium judicumque, quæ ipsis olim Comitibus incumbebant, qui Principi in bello deserviebant, aut in famulatu ejus semper adhærebant. ex quo liquido apparet, ad Comites spectasse, ut sententias judicum executioni mandarent, & regia vectigalia in ærarium redigerent. Si quæ animadversio pecuniaria (quæ Latine *mulcta* dicitur) in hac Curia cuiquam indicitur, aut si in solvendo solidum nõ solvitur, (Latine *reliqua* dicuntur) Vicecomitis est,

est, ea fide bona colligere, & in fiscum referre. Nam quantum ad ordinarios fundi patrimonialis reditus, & sæpenumero indictam populo pecuniam, alii sunt qui repetunt, & in ærarium rependunt. Nec deest Vicecomiti etiam suus vicarius, juris non ignarus, & apparitores quoque complures, quos *errantes* vocant, qui per integram Provinciam, quis cujusque fundus, cujusque nomen & facultates, probe sciunt, & ex mandato Vicecomitis ad inquisitiones citare solent. atque ob eam causam ad Vicecomites, qui juris proprie sunt officiales & ministri, *formulæ* ablegantur. quando super eo an factum aliquid sit necne ambigitur, ad Vicecomitem eo loci, ubi fundus est, de quo litigatur, formula quæ dicta est VENIRE FACIAS, ablegatur. tum eodem modo, ALIAS, PLVRIES, aut DISTRINGAS. quod si per contumaciam citatus aliquis abfuerit, & ob id mulctatur, Vicecomitis est, bona pignori accipere, & in ærarium perducere. neq; minus officium ejus est, tam Eirenarchis in conventibus, qui singulis anni quadrantibus celebrantur, quam Iudicibus, qui *itinerantes* sunt, adesse, quoties in Provinciam ad actiones tam civiles quam criminales expediendas (quod

quotannis bis fieri solet) proficiscuntur; & sicuti carceris custodia penes illum est, ita sicubi capitis damnatus est aliquis, eum ultimo supplicio afficiendum curare.

CAP. XVIII.

De Duodecemviris.

CUjus ordinis & status in republica Duodecemviri sint, à me superius est declaratum. Vicecomes semper xxiv ad comparendum monere solet, ne forte nonnullis morbo laborantibus, aliis justam absentiæ causam adducentibus, Duodecemvirûm numerus expleri non possit. tametsi enim Duodecemviri appellentur, ut sint xvi, xx, aut integer xxiv numerus, parum refert. pauciores esse quam duodecim nullo modo debent. *Inquisitio* legitimum est per Duodecemviros judicandi genus.

In actionibus civilibus, quæ ex dominio aut contractu aut possessione descendunt; ubi, qui inquisitionem constituunt, comparuerint, uterque litigantium contra quemlibet aut quoscunque voluerit, exceptiones pro libito potest intendere. verbi gratia; quod in prædiorum fructibus usque ad talem summam expendere non poterit, quod con-

consanguineus est, aut largitionibus & mercede corruptus, aut adversarii famulus, aut deniq; inimicus, &c. deque integro numero qui supersunt duo, in cæteros censuram & examen exercent. si post interpositas recusationes, tot repudiari contigerit, ut justa plenaque non sit inquisitio, plerisque in casibus eo die nihil agitur, in aliquibus ex *circumstantibus* impletur numerus. ibi postea jurisjurandi religione obstringũtur ad facti veritatem dicendam secundum probationes in judicium deductas, & conscientiam suam. tum Iurisperiti, facti speciem aperiunt, & quantum valent in gratiam clientis exponunt. tum depromuntur instrumenta, testes juramento onerantur: & coram judicibus testimonium dicitur, non pro more juris civilis, sed publice, ut non Duodecemviri modo aut judices partesque intelligant, sed qui circumstant universi. premitur mox testis interrogatoriis ab adversario vel causidico propositis, ut hominem pudore afficiant. atque hoc utrumque Cæsarei juris Professoribus novum fortassis videatur. Ciceronem tamen & Quintilianum quisquis consuluerit, non alienum fuisse apud Romanos hunc testimonium perhibendi modum, facile

intelliget. tum ubi ſatis peroratum eſt, reſque teſtibus confirmata, judex ſub verborum compendio, propoſita à jureconſultis in utramque partem argumenta, Duodecemviris alte à capite repetit, teſtium dicta commemorat, rurſuſque facti ſpeciem inculcat. mox hi in Cameram non longe diſtantem ſub cuſtodiam præfecti alicujus ablegantur, & abſque potu, pane, & foco tantiſper aſſervantur, donec in eandem omnes ſententiam conceſſerint, unumque aliquem ipſorum Viceoratorem ſubſtituerint. confecto negotio iterum redeunt, & quid illis juſtum videatur, breviter enarrant. Cui res per Duodecemviros adjudicata eſt, illos in prandio accipere ſolet. quod unum pro mercede illis elocatur, emenſo interdum xx, xxx, aut XL milliarium ſpatio. Prætereundum obiter non fuit, Duodecemviros omnes ex eodem Comitatu eſſe oportere, ex eademque centuria, ubi vel fundus, ſuper quo naſcitur controverſia, eſt, vel ubi rei eſt domicilium.

CAP. XIX.

De Centuriis aliisque Comitatus partibus.

COmitatus partes, pro diverſa loquentium conſuetudine, alias habent

bent appellationes, *Hundredum, Lathum, Rapum, Wapentachium.* Centuria (vulgo *Hundredum*) pars eſt Comitatus interdum decima, interdum duodecima, decima tertia, decima ſexta, vigeſima, aut trigeſima. quæ ex eo nomen invenit: ſive quod centum oppida quævis centuria primo continebat, redacto nunc ad pauciora numero; ſive quod centum milites, tum ubi opus erat, Regi ſuppeditabant. *Lathum* & *Rapum* obſequii eſſe nomina exiſtimavi. olim namque ſub primam majorum noſtrorum egeſtatem, totidem villas conveniſſe arbitror, ad comportandas domini ſui ſegetes, & in horreum quod *a Lathe* dicitur referendas, aut ad ſegetem demetendam, quod vulgo *Reape* dicitur. *Wapentachium* è Danorum aut Saxonum ſermone emanavit. totidem quippe ex oppidanis in unum locum convenerunt, ubi armorum (Anglice *Weapon*) delectus habebatur; quique idoneis fidejuſſoribus de probe & pacate in poſterum vivendo non ſatisdabant, illis arma detrahebantur. *Weapen* aut *Wapen* Anglice telorum genus omne complectitur, mucronem, pugionem, haſtam, lanceam, falcem, arcus, calamos. De loci nomine, in quo conſcripta eſt hujuſmodi

multitudo, aut ubi obsequia operæque præstari solebant, Hundreda, (Latine *centuriæ*) Latha, Rapa, VVapentachia, appellantur: quæ principio celebriores (ut credi potest) villæ fuerunt, tametsi hodie (vide quid temporis possit diuturnitas) nullius oppidi vestigium appareat.

Cuique centuriæ sive Hundredo duo assignantur *Constabularii* præcipui, qui in reliquos inferiores imperium aliquod exercent. ab Eirenarchis deliguntur isti Constabularii. habet & quæque Centuria Bailivum suum, qui vel per Dominum aliquem (si potestatem obtinuerit) aut per Vicecomitem constituitur.

CAP. XX.

De Curia Baronis.

ALienum videri potest, quod cum Anglia omnis in XXVI Comitatus, & quilibet rursum Comitatus in centurias, centuria denique in parochias distinguatur, jus tamen uno in loco, hoc est, in *aula Westmonasteriensi* solummodo dicatur, idque statis temporibus vix anni quadrantem attingentibus, adeo ut non temere suspiceris, parum in hoc regno justitiæ litatum esse, immo injuriis exponi omnia. verum longe

longe aliter res se habet. nam Populus æquali justitiæ distributioni assuefactus (in quo eadem est divitum & egenorum conditio) resectis quoque judiciarii strepitus ambagibus, neque post latam semel sententiam permissa provocatione, Curias etiam minores habent, in quibus lites exercere possint. in singulis Comitatibus, tribus quibusque septimanis, negotia XL solidorum non superantia Vicecomes ipse, & in centuriis aliquibus Balivi, dirimendi habent potestatem.

Etiam prædiorum Domini pro arbitratu suo id sibi habent indultum privilegium, ut apud illos in foro suo judiciario, quod *Curia Baronis* dicitur, hujusmodi controversiæ quædam explicentur. ibi, qui Dominum illum agrorum suorum recognoscunt, super facti veritate inquirunt: quæ inquisitio *homagium* appellatur. hi nomina ipsorum, qui ab exitu novissimæ Curiæ mortem obierunt, quique jure emphyteutico obligati sunt, deferunt, hæredesque, qui loco parentum succedere debent, in Curiam producunt: si qui agri alieni limites interceperint aut intercluserint, hîc denunciantur. habent quoque nonnulla suis legibus sancita, quarum violatio animadversione pe-

pecuniaria in Domini usum applicanda coërcetur. cæterum illis solum his Curiis opus est, qui otium & quietem amant, quique vicinorum arbitrio rem componi malunt quam (posthabita interim agricolatione) per inextricabiles legum mæandros provolvi. nam liberum cuique esse potest, causam in istis curiis aliquantisper disceptatam, in aulam VVestmonasteriensem promovere. Habent etiam civitates & oppida quædam hoc beneficium, de quibus tamen (si videatur) ad aulam etiam VVestmonasteriensem lites transferri possunt.

Henricus VIII Præsidem, Consiliarios, Iudices constituit. unum VValliæ finibus præfecit, in Borealibus Angliæ partibus Ludlovvi collocavit alterum. quibus in locis negotia quamplurima expediuntur: quæ duæ Curiæ Parlamentis Gallicis quodammodo respondent. quod si majoris momenti negotium aliquod inciderit, ad aulam etiam VVestmonasteriensem, judicesque illius fori ordinarios, aut pro re nata ad Cancellarium revocari potest. Causæ in his curiis nunc pro more legum municipalium, nunc pro Cancellariæ institutis tractantur.

CAP. XXI.

De die (quem appellant) legitimo.

NOn cuivis manuerio annexa est ejusmodi curia, quam nos *leete* aut *lavv day*, Latine diem legitimum appellamus, nisi vel Principum gratia, vel longi temporis cõsuetudine præscripta. Insignis & exploratæ ergaPrincipem fiduciæ argumentum, & paucis delegatam fuisse potestatem reor, ut obsequii sacramentum nomine regio exigerent, fidejussorum nomina caperent, qui pro fide & probitate sua satisdarent, conspirationes deferrent, pugnas, homicidia denunciarent, panis cerevisiæque bonitatem explorarent, cæteraque mensurarum genera examinarent. Sæpe fit, ut qui extra limites *Curiæ Dominicalis* sive (ut nunc loquimur) *Curiæ Baronum* sunt, ut ad Curiam de *Leete* accedant, astringantur, quod bis in singulis annis statis temporibus celebrari solet.

Leete & *lavvday* idem valet quod (si verbum verbo interpreteris) legitimus aut juridicus dies. *Lavv* apud antiquissimos Saxones *Lant* aut *Lag*. indeque per corruptelam loquentium factũ est *leete*, subintellecto vocabulo *day*. quod & nos in hodiernum usque diem retinemus, & conjunctim pronuntiamus.

CAP. XXII.

Quemadmodum in causis capitalibus judicium instituatur: deque Eirenarchis.

OPeræ pretium erit; priusquam de rerum capitalium judiciis aliquid afferamus, de tribus potissimum personis, *Eirenarchis, homicidii Quæsitore, Constabulariis,* verba facere.

De minorum majorumve gentium nobilibus, id est, Ducibus, Marchionibus, Baronibus, Equitibus, Armigeris, Generosis, Iureconsultis, spectatæ virtutis & prudentiæ ergo, quique intra Comitatum incolunt, Eirenarchæ deliguntur. & interdum primores quidam è nobilibus, honoris gratia, non per unum aliquem Comitatum, sed per universam Angliam ad id munus nominantur. id tamen omnibus peræque est commune, ut pro Principis beneplacito (sicubi commodum videbitur) à potestate possint submoveri. Rariores ab initio fuisse constat, utpote intra Comitatus ambitum, nunc quatuor, octo deinceps, amplificatis demum facultatibus, doctrina administrationisque laudibus perinsignes, xxx aut xl. quod si in ampliorem aliquando numerū excrescant, qui reipubl. negotiis tractandis incum-

incumbant, equidem quid in eo insit incommodi, non intelligo. Inter hos in eadem delegatione nominantur nonnulli, qui ob singularem iis fidem concreditam, in numerum *de Quorum* reponuntur. adeoque constitutis mandato Principis XL aut XXX Eirenarchis, quosdam præstantioris notæ de numero *Quorum* adhiberi necesse est. Delegationis forma talis est. *Quorum nos* A.B.C.D.E.F. unum esse volumus. Eirenarchæ ad furum, latronum, erronum injurias compescendas, conspirationes, vim, congressus illicitos, cæteraque id genus maleficia coërcenda designantur. penes illos potestas est, (quoties illis supplicatum fuerit) pacis reiq; publicæ perturbatores in carcerē conjiciendi, Constabulario aut Vicecomiti mandandi ut eos deducant, Ergastulario ut custodiat & in conventibus juridicis sistat. conveniunt quater in annos singulos, id est, quolibet anni quadrante semel, ut in maleficia & crimina stellionatus diligenter inquirant. Vicecomitis est, aut saltem vicarii ipsius, quatuor inquisitiones XXIV virorum ingenuorum (nam ex XXIV inquisitio nunc conflatur) centuriatim colligere, & unam insuper è singulis, quæ inquisitio grandis dicitur, per universum

Comi-

Comitatum cogere. hi poſtquam convenerunt, jurejurando adiguntur ad inquirendum in hæreticos, proditores, latrones, ſicarios, homicidas, raptores, monetæ adulteratores, repetundarum reos, catervas & illicitos congreſſus, poſſeſſiones per vim adquiſitas, ludos vetitos, cæteraq; quæ reipublicæ pacem interturbant. Si quem culpæ obnoxium cognoverint, ipſi ultro deferunt: ſin ab aliis defertur, caput accuſationis ab Eirenarchis pro tribunali ſedentibus primum relegitur, ut ex eo melius intelligatur, an præſcriptæ juris formulæ reſpondeat necne. tum uni ex inquiſitoribus iſtis traditur. quique in alterum paratus eſt dicere, ſtatim à præſtito juramento documenta ſubminiſtrat, quibus illum reum peragere conatur. quod ſi illis ſuper veritate criminis objecti conſtiterit, hoc unum dorſo ſchedulæ adſcribunt. *Billa vera*, hoc eſt, ſcriptum verum, aut *accuſatio juſta*, aut *reus eſt qui accuſatur ibi*. qui ſic arguitur, delatus aut in judicio poſtulatus dicitur. forma accuſationis talis eſt, *Inquiratur pro domino Rege*. Si de crimine non ſatis evidenter apparet, adverſa parte accuſationis inſcribunt, *Ignoramus*. eamque Eirenarchis dilaniandam tradunt. qui ſic arguitur, ſtatim evadit non

non damnatus. Quod si in hunc modum postulatus fuerit, nec dum in carcerem conjectus, Vicecomes ipsum statim inventum custodiis asservari jubet: si non offenderit, per præconem edicitur, ut actutum sese dedat, alioqui proscriptione mulctandus. sic trina vice promulgatione facta, quarta exactus aut actus in exilium, bonis omnibus propter contumaciam relegatus spoliatur.quę tamen sententia per benignitatem Regum interdum mitigatur, si vel ipse postea in judicio se stiterit, vel causam absentię verisimilem afferre potuerit. Conventus Eirenarcharum isti quater in annos singulos indicti, *Trimestres Sessiones* appellantur aut *Inquisitionum Sessiones*. nam inquirunt solum, & sontes, nisi quod custodiæ mandantur, nullum hic supplicium subeunt. atque talis reos in jus adducendi modus *ad Instantiam* REGIS nuncupatur, Rege nimirum actoris, & captivo rei partibus defungente. Sæpe etiam ex jussu REGIS Eirenarchæ conveniunt: ut si bellum ingruat, videant ipsi, ne quid respublica capiat detrimenti; interdum ut militum copias conscribant; interdum ut stipendiis artificum & operariorum immodicis aliquid detrahant; interdum ut cultum nimium

luxum-

luxumque in vestibus cohibeant, prohibitos ludos reprimant, sceleratorum in tabernis cerevisiariis conventus circumscribant, errones castigent, & ut uno verbo absolvam, quicquid è republica fuerit ut procurent. Sub æstatem sæpenumero (nam illo potissimũ tempore plebs incomposite & incondite tumultuatur) articulos quosdam de sanctionibus, per quas mulcta delinquentibus irrogatur, Princeps simul cum consiliariis seligere solet, & ad insolentiam vulgi refrenandam apud Eirenarchas deponit. qui re mature deliberata pro se quisque in partes regionis sibi demandatas regii mandati perimplendi causa secedit. post aliquod temporis intervallũ congrediuntur iterum, Principemque certiorem super istis negotiis faciunt. nullibi (quod ego credo) gentium, suaviorem, sapientiorem aut benigniorem gubernandi viam mortales excogitarunt, per quam ratio initur potius ne subditi peccent, quam ubi peccaverint ut puniantur. nam ubi primariis optimisque hanc potestatem concreditam vident, qui quid facto opus est ipsi suggerunt, &, si res tulerit, delinquentes denunciant, debitoq; supplicio afficiunt, ut injectum nimiæ ipsorum licentiæ frenum facile tum intelligant,

gant, terror in omnes, pœna in paucos venit, ſimulque priſtinus legibus ſplendor denuo accedit cum perpetua incompoſitæ multitudinis moderatione. Cæterum quemadmodum incomparabili reipublicæ bono accidit, ſi tam ſalubre inventum re ipſa uſurpetur; ita ſi contemni aut diſſimulari cæperit, & pro forma tantum adimpleri, atque (ut Galli loquuntur) *par maniere d'acquit*, præſentem reipublicæ ruinam, tametſi primum non intellectam, ſecum afferet. cujus quidem culpa, ſi negligatur, tam ad eos qui præſunt quam qui parent (ad illos, ſi delectum optimum non adhibeant, ad hos, ſi præcepta protinus non exſequantur) pertinere poteſt.

CAP. XXIII.

De ſontis inſecutione.

PErvetuſta Anglorum lege ſancitum eſt, ut ſi aliquis damnum ex furto paſſus, aut qui ipſum ſpoliatum viderit, ſontem per acclamationem inſequatur, Conſtabularius ejus villæ, cujus opem implorat, auxilia ciēre furemque perquirere debeat; quod ſi furem illic non deprehenderit, in proximam commigrare, & Conſtabularium ad ferendas ſuppetias iterum invocare. itaque oppi-

oppidatim per acclamationem istam tantisper furem persequuntur, donec ipsum prehenderint. Parœcia, si quæ diligentem operam in perscrutando non adhibuerit, sed evadendi copiam furi concesserit, Regi mulctam pecuniariam persolvit & spoliato damnum resarcit. unde lictoris munere quivis Anglus defungitur, & quisquis segnem aut minime diligentem operam adhibuerit, non famæ modo verum etiam pecuniariæ animadversionis periculum adit. In furem sic deprehensum quemadmodum statuatur, ipse postea subjiciam. Homicidium eodem modo insectantur. Quamprimum coram Eirenarchis sontes adducuntur, examini statim subjiciuntur. Ipsam examinationem aut confessionem literis excipiunt: syngraphaque obligant spoliatum aut Constabularium quotquot testimonium aliquod perhibere possunt, ut reum in proximis juridicis conventibus accusent. ad quod præstandum x, xx, xxx, xl, c librarum mulcta, pro cujusque qualitate tenentur. idque ipsius Eirenarchæ manu consignatum, nisi comparuerit, ad mulctam exigendam sufficit.

CAP. XXIV.

De Homicidii Quæsitore.

QUod si virum, fœminam, puerumve per vim trucidari contigerit, latente adhuc homicida, antequam homicidii Quæsitori facta sit videndi cadaver copia, nemo illud sub terram audet recondere. Quæsitor homicidii ex minore nobilium classe solet deligi, ab legum peritia non plane alienus. tum si per vim interfectum, sive cultello, veneno, fune, submersione, incendio, suffocatione, aut alio quovis demum infortunio, ante adventũ Quæsitoris homicidii sepeliverint, (quod nemo hominum audet) exhumandum statim & examini subjiciendum curat, indeque Duodecemviros virtute juramenti cogit, ut, qua ratione tam lethale periculũ defunctus adiverit, ipsi pronuntient, quis aut perpetrarit, aut modum facinoris subjecerit. In angustias loci recludi isti non solent, sed pro libito exspatiantur, quinimo post xx aut xxx dierum spatium, prout facti veritas inclarescit aut obscuratur, sentẽtiam dicunt. ex quo interdum mortuum seipsum interfecisse, interdum fratrem, maritum, uxorem, sororem, familiarem aut externum (justitia divina id retegente)

P per-

perpetrati homicidii reos esse innotescit. Quisquis hujusmodi suspicione laboraverit, carceri confestim mancipatur: valetque in vim inquisitionis sic prolata sentētia. Modus cogendi Duodecemviros, cadaverq; defuncti à Quæsitore quem *Coronner* appellamus inspiciendi, sententiæque proferendæ, in publica platea solet peragi, & in *Corona Populi*. sed ego inde nomen *Coronatoris* Quæsitori inditum æstimo verius, quoniam cujusque subditi mors & internecio ad *Coronam* spectare intelligitur, Rege nimirum robur suum, potentiam, coronamque ex virtute populi sui colligente.

CAP. XXV.
De Constabulariis.

Constabularii, qui custodes pacis apud veteres legum nostrarum libros appellantur, majore olim quam nunc dignitate fuerunt. quibus (ut credi potest) par fuit cum Eirenarchis dignatio atque authoritas. Si qui tumultum aut turbam excitent, rixantibus interminantur ut ab armis desistant, pacemq; regiam colant: renuentibus opponit se effusa multitudo, atque eos in ordinem per vim redigunt. Similiter Constabularius etiam, si quis furti, homicidii

micidii, ficariatus, ſuſpectus fuerit,eum deprehendere & (quod plus eſt)in ædes alienas intrare poteſt, ut ſontem inquirat,atque, ſi illi videbitur, ſub numellis aut cuſtodia retinere, donec corã Eirenarchis examen ſubiverit. Quoniam vero quævis villulæ plerumq; duos habent Conſtabularios,qui de numero artificum & operariorũ ad id munus eliguntur,qui neq; rerum uſu neque ſcientia neq; authoritate valent,hanc omnẽ poteſtatem in manus Eirenarcharum reſignant,quorum mandata tantũ exequuntur. nam quoties furti aut cædis aliquis inſimulatur, quoties ſervus aufugerit vitamq; inertem vixerit,ut in illum ſuſpicio mala conveniat, mox ad Conſtabularios reſcribunt Eirenarchæ, prçcipiuntque ut illum ad ſe adducant; quorum imperium ipſi non defugiunt: ejus vita poſtquam probe eſt abEirenarchis excuſſa,in poteſtatem Conſtabulariorum iterum redditur,inde in carcerẽ ablegandus, & cõventibus juridicis damnandus aut plane abſolvendus. Conſtabularii iſti(qui Anglice *Headborovves* & alibi *Thitingman* vocantur) illis non ſunt diſſimiles, qui in vicis Gallicanis cõſules vocantur. ſolent creari in curiis dominorum ſuorum,(quas *Leete* ſupra diximus)&in eodem officio plerumque

P 2 toto

toto triennio vel quadriennio immorantur. quid sibi velit vox ista *Headborough*, perfacile est scire, quando ex sermone nostro, caput aut principium Burgi, veluti *Tithingman*, decuriæ præfectum denotat. nam *Constable* quasi *Kinningstable* inde mihi natum videtur, quod per Principem in officio confirmatus est ad pacem conservandam, & quæ ad Coronam spectant causas expediendas. hi Eirenarchas, quod supra monui, dignitate proxime attingebant.

CAP. XXVI.

De conventuum Iuridicorum celebratione, & quemadmodum in causis criminalibus procedatur.

QUo pacto fures, sicarii reliquiq; flagitiosi deprehendi & custodię mancipari soleant, usque dum justitiæ satisfecerint, quomodo per acclamationē, indicia, & Eirenarcharum & Constabulariorum operam & industriam in judicium vocentur, & in *conventibus trimestribus* aut ab homicidii quæsitore rei peragantur, enarratum est antea.

E quibus apparet, delationem aut in judicium postulationem nihil aliud esse quam Duodecemvirorū præjudicium; quod finem tamen principali negotio nullum affert, sed conjecturam aut opi-

nionem

nionem verius. quocirca de abſentibus etiam inquiritur & de non citatis. nam tametſi aliquis delatus fuerit, ſi nemo illum in judicio ſtantem reum peregerit, nemo illi aliquid objecerit, cōfeſtim abſolvitur. qui ſemel delatus eſt, abſque eo ut ſe judici ſiſtat, immunis non evadit. Duodecemvirorum calculo defertur, Duodecemvirorum calculo aut damnatur aut abſolvitur. Cęterum ubi incarceratus omnino non eſt delatus, ſed in carcerem ex vehementi aliqua ſuſpicione traditus, neque quiſquam illum facti inſimulat, Præcone judiciario clara voce hæc verba recitante, *A B vinctus, adſeptum Curiæ adſtat, ſi quis illum criminis poſtulare voluerit, accuſationem nunc inſtituat, nam vinctus liberationem expectat*, ſi nemo eum tum incuſaverit, in libertatem priſtinam aſſeritur, poſtquam ergaſtulario ſua ſtipendia perſolverit. qui ſic liberantur, voce pręconis liberati dicuntur.

Quotannis bis à Principe rus ablegantur in ſingulos Angliæ Comitatus de foro VVeſtmonaſterienſi quidam Iudices & Iuriſconſulti (quos nos *ſervientes ad legem* dicimus) ad cognoſcendas & confirmādas cauſas capitales, aſſidentibus ſibi Eirenarchis. progrediuntur de Comitatu in Comitatum iſti judices,

donec præstitutum itineris sui orbem impleverint. scripto edicunt sub finem cujusque termini, quo die & loco conventus celebrabuntur. stato die Eirenarchæ conveniunt, qui ejusdem Comitatus fuerint, & Vicecomes, qui pro tempore judices accipit, & impensam pecuniarum de Scaccario reposcit.

Vicecomes (ad expediendum causas criminales) quatuor,quinq; aut sex inquisitiones ad manum habet,ut illo die præsto esse possint.habet etiam totidem ad ferendam in causis civilibus inter privatos homines sententiam coactas, quas nostri causas *Nisi prius* dicunt,quia illæ dictiones formulæ inseruntur.

In Prætorio, aut loco aperto publicoque tribunal exædificatur;cujus medium quasi locum occupant duo Iudices;ab alterutra parte,pro dignitate sua Eirenarchæ assident;demissioribus subselliis reliqui una cum generosis quibusdam & scribis suis consident. pro tribunali ad mensam appositam, Custos Rotulorum, Fiscalis, Provicecomes, & qui scribendo negotia expediunt, discumbunt. juxta mensam, area Duodecemviris accipiendis idonea, intra septum concluditur. nam ad extremum quasi terminum ad septum aliud captivi vinculis concatenati sistuntur.

Tum

Tum facto per præconem silentio, quamobrem eo venerint, alter judicum exponit, simulque orationem habet. mox captivi suis nominibus evocantur, jussi ut quisque appellato suo nomine respondeat. Atq; ubi delationum formas *Custos Rotulorum* produxerit, judices unum è captivis, duos aliquando aut tres designant, quos per examen judiciarium explorare statuunt. dein *Scriba* captivum hac quasi verborum forma alloquitur: *AB procede ad septum. attolle manum. Tu AB, de tali oppido & Comitatu, reus perageris, quod tali die, loco tali, alienum equum qui ad hunc vel illum pertinuit, sic coloratum, tanti æstimatum, per vim contrectaveris, & subduxeris; id quod pacem supremi Domini Regis nostri conturbat. quid ad hoc respondes? Furti teneris an non?* si non responderit aut non apposite responderit, reus non reus (postquam semel atque iterum interrogatus fuerit) tanquam per contumaciam mutus cōdemnatur, horrendo post natos homines exemplo afficiendus: supina nimirum facie super asserem stratus, atque alio illi superimposito cum tanto lapidum aut plumbi pondere, donec collisa corporis compage misero per vim insignem vita eripitur. hoc genus mortis

animosis quibusdam arridet. nam sceleris non damnatus, familiæ generisque vitium non patitur, neque bona ipsius fisco adjudicantur.

Si accusationis capita vera esse fateatur, Duodecemvirorum sententiam non experitur, quando in confitentem reum nullæ sunt partes judicis nisi in condemnando.

Si reum se esse pernegaverit (qui perpetuus est furum, grassatorũ & sicariorum mos, tametsi factũ coram Eirenarcha prius nõ inficientur, aut in flagranti crimine deprehendantur) Scriba forensis ipsum interrogat, quomodo decerni velit, monetq; respondendũ esse, *Dei populiq; judicio.* id postquam respõderit, nempe, *Dei populiq; judicio decerni volo*, Scriba sontem sic alloquitur: *Talis criminis delatus es: dicis te reum nõ esse: interrogatus, quomodo decerni velis, Dei populique calculo asseruisti: Ecce tibi hi probi viri populum repræsentant, & si adversus aliquem objicere quicquam poteris (specta illos diligenter) eloquere. nunc enim vitæ necisq; tuæ negotium agitur.*

Tum primum in Decemviratu inquisitorem evocat: *Accede ad sacrum codicem.* deinde juramenti religione obstrictum monet, ut fidelem se inter Principem captivumque inquisitorem præbeat:

beat: nullaque à reo propoſita exceptione, alterum, deinde iterum alterum, uſque dum numerus duodenarius compleatur, appellando producit. & plerumque captivus nihil habet, quod inquiſitoribus objicere poteſt; quippe qui in illum diem tantum eliguntur, ignoti captivo, & qui perinde captivum non norunt, ſed prope locum habitant, ubi flagitium deſignatum eſt, laboribus quotidianis exerciti, quibus nulla cum ſceleratis intercеſſerat familiaritas aut conſuetudo. Completo jam inquiſitorum numero, ſcriba præconem jubet numerare. ipſe ſuo quemque nomine vocat. præco clara voce unumquemque repetit, dicendo, *unus, duo, tres, quatuor*, donec numerus duodenarius abſolvitur: ſubjicitque ad finem numerationis ſuæ; *Boni viri & juſti.* deinde ait, *Si quiſquam judicia exhibere, aut in captivum paratus eſt dicere, nunc in forum prodeat. nam de captivi liberatione agitur.* Si nemo prodeat, judex percontatur, quis illum in carcerem ablegarit; qui ſæpe Eirenarcharum eſt aliquis. hic formam examinis producit, ſubterque nomina eorum, qui ſe cum indiciis præſto eſſe obligaverint: qui ſi non compareant, reus abſolvitur, etiamſi delictum à ſe

admissum ultro apud Eirenarcham fassus fuerit; verum qui accusationem instituere debuerunt, damno pecuniario mulctantur. Quanquam hoc rare solet usu evenire, nisi aut in rebus valde minutis, aut in absentia Eirenarchæ. Vbi vero apparuerint qui reum criminentur, primum examinis formam legunt, quam ab Eirenarcha habent. tum qui bonis suis spoliatus est, mox Constabularius, & quotquot in fure deprehendendo adfuerunt singuli, ad veritatem dicendam juramento onerantur. Statuuntur isti in loco fori tam opportuno, ut uno quasi obtutu judices, Eirenarchas, inquisitores, & captivum contemplari, loquentes exaudire, ab ipsis vicissim intelligi queant. quærit à spoliato judex, si captivum bene noverit, & spectare sedulo jubet. spoliatus affirmat se bene nosse, pernegat captivus. ille signis scientiam suam confirmat, *Quin ut te nescirem, perdite? in fortunas meas tali in loco involasti, pugnis & verberibus male mulctasti, equum surripuisti & crumenam, talem tunicam induebaris, talem tibi sodalem adscivisti.* captivus inficiatur omnia. atque ita paulatim altercationibus lis producitur. postea quicquid in captivum paratus est dicere, spoliatus enunciat.

ciat. eum Constabularius, hunc cæteri etiam, qui proferre possunt indicia, suo ordine sequuntur. his ita peractis, an supersit etiam adhuc alius, quæritur. negant illi.

Tum inquisitores judex sic alloquitur: *In captivum satis accepistis quid dici possit. contra pro se quid ille valeat dicere intellexistis. juramenti vestri & officii probe memores estote, Deum authorem sequimini.* hoc pacto, in duos, in tres interdum Duodecemviri inquirunt. nam si in plures inquirendi illis potestas mandata foret, veniam à judice deprecari solent: *Reverende Domine Iudex, ignoscas; judicium memoriamque nostram satis oneravimus.* itaque sæpe in unum aut ad summum ultra duos non inquirunt.

Secedentibus in scriptis nihil præter ipsam accusationem proponitur. ejus summam Scriba quam paucissimis iterum repetit: monetque ut, si reum criminis esse arguerint, quid ipse in bonis prædiisque habuerit sub ipsum deprehensi flagitii tempus, investigent: si quid compererint, palam indicent, sin minus, ipsum quoque affirment. &, si reum criminis existimaverint, porro, an admisso facinore aufugerit necne, respondeant. Congregatis in hunc

modum

modum Duodecemviris, ſtator ſive Bailivus aliquis inſervit, à colloquio ipſorum cæteros prohibet, curat inſuper, ne panis, potus, eſca, focus inferantur, donec in eandem omnes ſententiam deſcenderint. ſi qua hæſitatio injecta fuerit, aut plenius ſuper indiciis edoceri cuperent, fas eſt ut in eo erudiantur. Novum fortaſſis iſtud videbitur, ut in vitæ neciſque judicio, nihil ſcripto conſignatum, præter inquiſitionem ipſam offeratur; quinimo qui leges Imp. Romanorum obſervaverint, hoc illis valde videbitur inſolens.

Quicquid ſupereſt negotii, coram Iudicibus, Eirenarchis, inquiſitoribus, captivis, adſtantibuſque, palam expeditur. quique teſtimonia perhibent, publice ita, ut omnes dictorum ſuorum conſcios habeant, proferunt. conſimilis plane mos eſt, captivos reliquos judicandi.

Antequam inquiſitores munus ſibi impoſitum expediverint, prandendi eſt hora. de prandio in eundem locum redeunt, ſi de captivis in unam ſententiam inquiſitores non convenerint. in cauſis actionibuſque civilibus examinandis tempus producitur. Simulatque poſt multam deliberationem in unam ſententiam Duodecemviri conceſſerint,

:int, Bailivum mox ablegant, monentque, ut ipſorum nomine judicem ad:at rogatum ut ipſis audiendis vacare dignetur. neque hercule id mirum eſſe poteſt, quando ipſi interea, dum in conclavi ſic aſſervantur, à conditione captivorum non plane alieni ſunt. ad ſeptum accerſuntur iterum captivi, prodeuntque inquiſitores ſuis quiſque nominibus evocatus. Tum ſcriba, an in unam ſententiam convenerint, & quis ipſorum vice reſponſurus ſit, interrogat. reſpondent, ETIAM. qui proloquitur, inquiſitorum quaſi anteſignanus eſt, & ſæpe non alius quam qui jurando cæteris præivit. Tum captivus jubetur manum attollere, ad quem ſcriba ait: *Tu nomine A, delatus es, de tali loco, adductuſque in judicium: reum te eſſe inficiaris: rogatus qua ratione decerni velis, DEI POPVLIQVE ARBITRIO reſpondes: Populi vicem boni iſti viri repræſentant. Ad ea proinde, quæ dicturi nunc ſunt, animum advertito.*

Tunc ad inquiſitores converſus ſciſcitatur, nunquid ſontem aut inſontem illum arguerint. reſpondet (qui primum juratus eſt) REVS aut NON REVS: illo condemnatur, hoc abſolvitur. Quod ſemel Duodecemvirum pro-

pronunciatum, non judices, non Eirenarchæ aut rescindere queant aut mutare. Scriba, quid in bonis prædiisve tempore designati flagitii captivus habuerit, quærit. Respondent plerumque, se nescire. neque certe adeo est opus, ut id quæratur, quando Vicecomes & fiscalis, in bonis istis fisco subsignandis, non indiligentem operam solent impendere.

Qui Duodecemvirum calculo reus est, an habeat aliquid quod causetur, quæritur. ne victus à judicio abeat turpiter, *Cleri privilegium* sibi concedi postulat, si sciat legere. plerisque enim in flagitiis, ut in furto boum, ovium, pecuniæ, in quibus vis nulla per viam regiam euntibus affertur, non invasio nocturna, neque formido aliqua incussa, non adeo acerbæ sunt leges nostræ, ut in primum delictum animadvertant. itaque quoties hoc *Cleri beneficium* imploratur, Episcopi partes sunt, ut sua vice aliquem per literas substituat, qui hanc legendi peritiam arbitrabitur. captivo aliquis in Psalterio locus perlegendus traditur. tum legere incipit, interdum (bone Deus) satis imperite. Commissarium Episcopi Iudex interrogat, *an legat ut Clericus*, qui respondet; *Etiam legit: Non legit.* si af-

ſi affirmaverit ipſum poſſe legere, Judex ad ſententiam capitalem ferendam non procedit. ſin negaverit poſſe, morti ſub hac ſententiæ forma adjudicatur. *Tu talis criminis delatus fuiſti, & in judicium adductus reum te non eſſe asseruiſti, Dei Populique arbitrio tuam innocentiam ſpectandam propoſuiſti. illi te ſontem eſſe pronunciant. quod ulterius cauſeris non habes. jura volunt, ut unde exiviſti, eo loci iterum remigres; inde ad locum ſupplicio deſtinatum deduceris, ubi ſuſpendio vitam finies.* tum Vicecomiti imperat, ut ſententiam executioni mandet. Qui *Cleri privilegium* ſibi concedi poſtulat & impetrat coram judice, ferro candenti in manu uſtulatur, ſignaturque his duabus literis T aut M, quæ furem aut homicidam declarant. ex eo tempore in cuſtodiam Epiſcopi deditur, ſecunda Duodecemvirorum Clericorum inquiſitione liberandus. quod ſi iterum ſic deliquerit, & ſi characterem inuſtum viderint, actum de illo eſt. res ad reſtim rediit.

Quiſquis inquiſitorum calculo juſtus eſt declaratus, ilico abſolvitur, & è cuſtodia liberatur, numerato quod neceſſe prius eſt ergaſtulario ſuo ſtipendio. Quod ſi quenquam intellexerit, qui ipſum ſic detulerit, habet

unde

unde damnum suum cumulate reposcat.

CAP. XXVII.

Peculiares suppliciorum formæ sontibus irrogatæ, nullibi præterquam in Anglia cognitæ.

GEnus supplicii aliud, in homicidas, grassatores, sicarios, raptores, cæteraque ejusmodi facinora quæ majestatem non imminuunt, præter suspendium non habemus decretum. defunctorum corpora sepeliendi cuique conceditur facultas. caput amputare, equuleo subjicere, in frusta secare, in rotam confringendum aliquem exponere, nobis inusitata sunt. nec alibi tamen infrequentiora sunt homicidia.

In potestate judicis non est, ut pœnæ malum intendat aut diminuat. ad Principem, & ad eos, qui ab intimis consiliis fuerint, hoc referri debet, quorum jussu aliquando fit, ut insignium sicariorum corpora, catenis patibulo affixis, donec computruerint, suspendantur.

Si maritum uxor interfecerit, viva incendio concremabitur.

Si dominum servus, crati superimpositus ad locum supplicii deducetur. *petit treason* dicitur.

Si

Si quis venenum propinaverit, in mortem concoquendus datur. ipse conatus, vel veneno interficiendi, vel insidiandi, nisi morte secuta, moribus & institutis Anglicis, capitalis non est, quia Princeps subditum non amisit, & vitam, nisi morte secuta, amittendam fuisse non placet. In homicidio designando, omnes peræque pro homicidis habentur, & morti adjudicabuntur, etiam si quis vel lucernam tantum præbuerit, quo id flagitium maturius perpetretur. ipsa quippe pœnarum mitigatio (ita censemus) judices corrumpit.

Equuleo aliquem torquendum subjicere, ut inter confessionem crimen elicias, præter morem gentis Anglicanæ est, & servile aliquid sapit. nam qua in re reipublicæ unquam inserviverit, qui membra sic protensa atque ultra justam mensuræ longitudinem producta habuerit? nam si insontem esse contingat, quæ par esse potest compensatio, ut illi de injuria satisfiat? si mori oporteat, quod genus feritatis est, ipsum prius excarnificare? Etenim expressa per tormenta confessio nihili æstimatur. nam si in ipso judicio fateatur, Duodecemvirorum sententiam non subit, si factum inficiatur, nihil

obesse potest, quod prius culpam agnoverit. Anglis innatum est, ut mortem spernant, cruciatum non ferant. idcirco potius quidvis à se gestum profitebuntur, etiam patris sui internecioné, quam ut cruciatui hujusmodi obnoxii amplius esse velint. neque enim mortem perinde horrent nostrates, atq; levissimum tormenti genus. nullibi gentium sontes ad supplicium perductos, qui magis animose atque intrepide se gerant, quam in Anglia observabis. Cótra populus tam horrendam feritatem videre non assuefactus, ex hac miseria dolorem hauriret, Principem quoque & Iudices abominaretur, qui tale genus crudelitatis inveherent. Duodecemviri quoque sua sponte absolverent reos. Perantiqua etiam apud Anglos sanctio est, ut si incarceratum aliquem equuleo subjiciat ergástularius, ob eum finem ut criminis participes indicet, morte mulctetur. Et si rem ipsam putare volumus, equuleo & tormentis quid est opus? nam ut captivus fateatur aut diffiteatur, absque mora, si Duodecemvirorũ calculo condemnetur, diem ultimum obire necesse est. sontes quoque, quum viderint aliter fieri non posse, quum populares & contribules ipsorum fuerint, quorum fidei vitam suam con-

concrediderint, ſponte ſe ipſorum ſententiæ ſubjiciunt, & ob admiſſum facinus divinam miſericordiam implorant. Animoſa & libera, vitæ ſanguiniſque profuſa eſt Anglorum natura. ſed enim contumelias, verbera, ſervitutem ferre nullo modo poteſt. in hunc modum ab antiquiſſimis Principibus aliti atque educati ſunt, ut milites potius ſtrenuique evaderent, quam ſervili ignominia ſe contaminarent.

Duodecemviris, ſimul atque ſententiam dixerint, abeundi copia conceditur: neque in illorum commodum cedit aliquid, præterquam quod Principi patriæque ſuæ inſerviverint.

CAP. XXVIII.

De crimine læſæ majeſtatis, & qua ratione major nobilitas dijudicetur.

ETiam in proditoribus examinandis idem modus obſervari ſolitus eſt. ſed pœna pro ipſorum merito multo eſt aſperior. Primum ſuſpenduntur, viventibus videntibuſq; viſcera eximuntur, cervicibus ſecure amputatis, partitis in quatuor partes membris, & diverſis in locis palo affixis.

Illud eſt eximium majorum gentium nobilium beneficium: ſi quiſquam Ducum, Marchionum, aut Baronum, in

Parlamento locum occupantium dignitatem adeptus, læſæ majeſtatis aut criminis capitalis inſimuletur, æqualium pariumque ſuorum ſententia judicatur. hoc eſt, cogitur è nobilibus inquiſitio, quorum quiſque (ut fit in Parlamento) facto à novitiis initio, ſententiam pro ſe dicit. pro tribunali ſedet, qui ſupremi Conſtabularii perſonam gerit per eum diem, peractoque judicio, ſcipionem quem habet in manu confringit, officioque ſe abdicat. In cæteris quid eſſe poſſit diſcriminis ab ea quam ſupra expoſuimus forma, non intelligo.

THOMAE SMITHI DE REPVBLICA ET ADMINIſtratione Anglorum,

Libri tertii

CAP. I.

De appellatione provocationeque, qua ſententiam ſuper cauſis criminalibus inique latam reſcindit.

SI Duodecemvirum inquiſitiones nimis rigide contra præſumptam probationum vim & mentem cenſuiſſe videbuntur; ut, ſi reum ultimo ſupplicio afficien-

afficiendum ex indiciis leviſſimis arguerint, aut ſi reus Iudicum & Eirenarcharum ſententia alias ob cauſas veniam mortis meruiſſe putabitur; dimittitur quidem inquiſitio, & judices pro eo quod reum capitis pœna mulctandum declararent, ipſum *ampliabunt*, hoc eſt, carceris cuſtodiæ tantiſper mancipabunt, donec Regem certiorem totius negotii fecerint, ab ipſoq; veniam reus impetraverit. nã quod ad appellationes provocationeſque, quæ apud alias nationes frequentes ſunt, eæ apud nos locum nullum obtinent: ſed lata ſententia confeſtim abſque hoc appellationis beneficio executioni per Vicecomitem mandatur. quod ſi captivi poſt denuntiatam mortis ſententiam, vel fuga ſalutem quæſiverint, vel aliud lethi genus obiverint; grandis pecuniarum ſumma Vicecomiti pro arbitrio Principis irrogatur. Sin vero per liquidiſſimas probationes & luce meridiana clariores Duodecemviris de crimine conſtiterit, & ipſi ſontem abſolvant tamen, (id quod aliquando contingit, poſtquam nimis incenſum judicem aut Eirenarcharum aliquem viderint, aut teſtificationes aut allegationes ſuſpectas habuerint) captivi liberantur. Verum Duodecemviri à judi-

cibus non verbis modo increpantur, ſed pœna etiam minaciter illis intentata jubentur, ut in Camera ſtellata aut in Senaculo ſuper facto reſpondeant. quanquam præter comminationes plerumque nihil fit. nam Duodecemviri benigne humaniterque pro ſe reſpondent, id ſe ex conſcientiæ religione feciſſe, & propterea judices, ne in malam partem interpretentur, imo ſi quid erratum fuerit, eos ut mites & clementes experiantur, demiſſe rogant. Verumtamen noſtra memoria contigiſſe obſervavi (ſed Elizabetha nondum imperante) Duodecemviros in carcerem conjectos & magna pecunia mulctatos, quod reum aliquem læſæ majeſtatis, propter inductas probationes, non pronunciaſſent. alios etiam ignominiæ publicæ nota affectos, quod ſontem abſolviſſent, memini. ſed à pleriſque etiam tunc temporis parum comprobata hujuſmodi facta, immo contra pleriſque vim & tyrannidem ſapere, & à libertate & moribus Anglorum plurimũ abhorrere viſa ſunt. quamobrem id raro uſu evenire ſolet, etiamſi Duodecemviros largitionibus interdum ſic corruptos eſſe contingat, ut æquiſſima illos puniendi ratio Principi non deſit. quippe homines ſunt, &, pro conditione humana,

mana, gratiæ interdum, interdum precio obnoxios esse, quis possit inficiari?

CAP. II.

In causis civilibus quis sit remedio locus, si præter leges pronuntiatum fuerit.

IN causis civilibus res aliter se habet. nam lite semel contestata, Duodecemviris convocatis, reque argumentis & probationibus hinc atque illinc confirmata, si Duodecemviri iniquam sententiam tulerint, adversus eos institui potest formula (quam nostri Attincturam & vulgo *Attaynt* dicunt.) quumque prima illa inquisitio ex Duodecemviris plebeii ordinis conflетur, secunda hæc ex XXIV generosis colligitur, qui Comitatum omnes, centuriamque (saltem duodecim) in qua fundus est, incolant, causa coram iisdem judicibus rursum dicitur. rei partes non modo ille sustinet, qui fundum ad se pertinere ajebat, sed etiam Duodecemviri priores.

In hoc attincturæ negotio, præter ea quæ primum proposita sunt, allegari nihil debet. quod si primam sententiam à XXIV viris comprobatam esse contingat, actor non modo causa sua excidere, verum Principis fisco mul-

ctam persolvere, reo denique damna resarcire judicabitur. Sin priorem sententiam eversam & reprobatam esse accidat, tum prior inquisitio *Attincta*, perjurii infamiæq; damnata censebitur. quod nisi Senatusconsulto Parlamentario sub imperio Henrici VIII constitutum aliter fuisset; quo Principi, victoque, in quem sententiam tulerunt, præter alias pœnas irrogatas v minas coguntur refundere, si summa de qua certatur XL libris sit minor, sin major, xx; agrorum etiam ipsorum depopulatio ad Regem spectaret. Verum quæ diximus perraro fiunt: partim ideo, quod generosi illubenter ferunt bonis viris proximisq; suis hujusmodi infamiæ maculas inustas esse, maluntque pœnam ipsam potius pecuniariam subire: partim quod rem ipsam commodis utrinque conditionibus transigi curant: nisi vel fidē prioris inquisitionis insigniter precio labefactatam viderint, vel pars alterutra adeo obfirmaverit animum, ut æquissimis postulatis acquiescere recusaverit. & si generosos super hoc judicio convenire contigerit, priorē sententiam pro virili confirmabunt. ubi aliter faciunt, aperte subesse oportet illustres aliquot injuriæ atque injustitiæ causas, de quibus tametsi satis constiterit,

terit, tamen si ante judicis pronuntiatum partes inter se pacifcantur, aut litigantium alter intermoriatur, sententia in rem judicatam non transit. Si priusquam sententia lata fuerit aut executioni mandata, ejusmodi aliquis error in ipsa formula, vel in ordine judiciario reperiatur, qui possit revocari, (per formulam, ut appellant, erroris) res integra de novo disceptanda proponitur, & quicquid gestum est rescinditur.

Sed illud nobis cum cæteris rebuspublicis, ubi leges civiles dominantur, commune est, quod *de nullitate processus* dicitur, & peræque in foro capitaliũ criminum quam actionum civilium hactenus est usitatum. aliud appellationum genus, quo tela judiciaria in immẽsum diducitur, nostris legibus plane est incognitum. Interim per querelam & preces Regi aut Cancellario oblatas, modus est aliquis vel retardãdi vel producendi processus judiciarii; ut si probationes amissas, nimiam popularium gratiam & adversarii potentiã causeris. quem enim lapidem homines inquieti intactum relinquant, ut vicinis suis per litigia creent molestiam, suisq; demum votis ipsi potiantur? quibus non secus atque muscis & pediculis indulta à Deo est licentia; ut eos maxime exagitent,

qui in rem Reipublicæ mentem omnem atque operam intendunt. infestum est hoc hominum genus toti viciniæ suæ, & formidatum, ab illis solum cultum qui lites litibus nectendo saginantur. Sed veluti istos res sua solet interdum deficere, dum ut alii patrimonium suum conficiant moliuntur: ita probe noti non modo opum suarum jacturam ipsi faciunt, sed quæ est Principis & fori æquitas, præter infamiam & opprobrium etiam in ære & in corpore pœnas luunt. quod mihi opus Rege dignum videtur: Reipublicæ certe tam beneficum & salutare, quantum in re adeo exigua ad subditorum quietem & educationem bonam aliud procurari non potest.

CAP. III.

De Accusatione.

SI quisquam patrem meum, filium, uxorem, fratrem, aut consanguineum proximum occiderit, penes me est ipsum vel deferre, facta inquisitoribus denunciatione, (utcunque Constabularii aut Eirenarchæ manus effugerit) atque ita efficere ut in exilium agatur, vel intra anni unius & diei spacium reum postulare. quod si ipse primum denunciem, non mea amplius sed Prin-

cipis

cipis refert. utpote cujus officium in Deum, patriam & subditos est, in sontes & pacis perturbatores pro justitia animadvertere. quod si reum ipse accusare malis, posthabita interim ea quam dixi persequendi forma, reo hoc accedit commodum, ut Duodecemvirum inquisitioni sese explorandum dedat (quod supra à me fuse est enarratum) aut duello quæstionem dirimat. cujus certaminis aleam, ipsi per se aut per pugiles (ἀθλητὰς interpretantur) nimirum lectos, bene pingues, agiles, ad arma tractanda idoneos, (quos Galli *adroicts aux armes* vocant) per μονομαχίαν experiuntur: in quibus rerum omnium summa est æqualitas. & prout victoriæ palmam Mars adjudicaverit, ita leges decernunt, illum ut *peractum reum*, hunc ut *calumniatorem* extremo supplicio afficiendum.

Habet hoc certaminis genus diversum aliquid à communi inquisitionis forma, in qua reum mori (aut aliquando vivere) contingat, actorem nunquam. sed in hoc majus periculum subest, æqualitas eadem. alterutrum enim occumbere necesse est. brevi tamen spatio definitur. diluculo incipit. sub occasum Solis aut citius (prout se-

cundior

cundior fortuna afflaverit) terminatur. videtur hoc valde militare, (cujusmodi omnis fere est Anglicana politia) nec plus cum jurisconsultis quam cum medicis commercii habere, negotium cito expedire, deinde domum redire, suaque opera & labore Reipublicæ inservire. Pontifices Romani & Ecclesiæ proceres, qui imperium in conscientias nostras diu exercuerunt, & ad certum moderationis statum rem conati sunt reducere, hoc judicandi genus frigidis argumentationibus è Theologia & Philosophia petitis plurimum insectantur: quippe non repugnat ratio, ut ab iis quæ ab institutione nostra dissident, abhorreamus. Certum tamen illud est, in republica militarem in modum composita nonnulla pacis & quietis bono tentanda esse, quæ in umbra & in musæo clam disputantibus non perinde arrident. utut res se habet, diu inusitatum mansit hoc certaminis genus, ex historiis potius quam ab experientia nostra petendum. attamen in hodiernum usque diem, legis vigorem retinet.

Quod si sicarius aut homicida (illum alterius vitæ insidiatorem, & ut Gallice dicitur *de guet appendam*, hunc qui ex calore iracundiæ hominem occide-

ciderit, appellamus) mortis veniam à Principe impetraverit, (nam id benignitas Regia interdum patitur) cui ſic illata eſt injuria, ſontem vel in judicio Duodecemvirali deferendi, vel cum ipſo ſingulari certamine depugnandi liberam habet optionem. & ſi poſt interpoſitam hujuſmodi accuſationem reum admiſſi criminis affinem eſſe contigerit, tametſi data eſt ad ignoſcendum venia, capite plectetur. Tantum juſtitiæ effuſoque per vim ſanguini Principes legeſque noſtræ indulgere voluerunt.

CAP. IV.

De Curia Cameræ ſtellatæ.

SVpereſt adhuc in Anglia forum aliud, quale alibi gentium (quantum intelligere potui) non reperitur. faſtis diebus (eos ſic appello, quibus in *aula Weſtmonaſterienſi* jus dicitur) ſingulis ſeptimanis, diebus Veneris & Mercurii, poſtridie eius diei quo terminantur, Cancellarius, Barones & quotquot à ſanctioribus conſiliis Principis ſunt, & Barones ſive nobilitas major, qui conſiliarii Regni non ſunt, itemque Iudices, (principales nimirum duo juſtitiarii) ab hora nona ad undecimam uſque in loco quodam conſidere ſolent,

cui.

cui Cameræ ſtellatæ nomen ob feneſtrarum multitudinem vel inſignitum variis ſtellarum iconibus deauratis tectum.

Si plures per vim ad agendum aliquid convenerint (*Riot* Anglice dicimus) coram hoc judicio ſiſtuntur. Enimvero (quantum ego conjicere poſſum) hujuſmodi turbæ & tumultus in aliam cauſam referri non poſſunt quam quod bellis externis, per Galliam Scotiam, & Hiberniam, aut civilibus domi, noſtrates exercitati, quæ propria eſt militarium nationum labes plurimos belli duces militeſque pepererunt, qui poſtquam aliam militiam foras non invenerunt, ſe ſuis viribus oppugnant & deprædantur, tam ad vicinos domi opprimendos quam vim ab hoſtibus illatam propulſandam juxta parati. ex quo gens noſtra ſic aſſueta domique inſolentior facta, legibus & inſtitutis politicis ægre ad obſequium revocata (potentioribus pugnas ſæpenumero cientibus, & injuriam tenuioribus inferentibus) leges bonas ordinandi occaſioné præbuit: primum, ne cui fas eſſet, ultra definitum clientum numerum retinere: tum in conventibus juridicis, de iis qui turbas & tumultus excitant inquirere: ſi quis per vim alie-

alienum fundum occupaverit, Eirenarchis vim illatam posse reprimere.

Præterea, quoniam non tenuioris fortunæ homines sed potentioris & opulentioris, solent hujusmodi facta perpetrare, quibuscum frustra in judicio homines gregarii aut generosi contendant, si coram senatoribus Regiis querela fuerit delata, reus in Camera stellata causam dicturus accersitur. ibi splendorem quasi & majestatem regni totius quum repræsentatam viderit, (nisi quod Princeps abest) ferociam ilico deponet, & ad respondendum (cujusvis loci aut ordinis fuerit) evocatus, tanta cum gravitate, rationum & argumentorum veritate, ab illustrissimis viris urgebitur ut animum despondere plane necesse habeat. quod si parum dextre pro se responderit, (nam præstare aliud, præsertim in tam aperto illatæ violentiæ negotio, vix quisquam possit) in carcerem prope amniculum, qui *Fleete* dicitur, pro judicantium arbitrio & voluntate tantisper ablegabitur, donec libertate sua aliquamdiu orbatus, & expensarum summa fatigatus, tandem amicorum suasu & consilio, ad dictamen rationis se accommodaverit. plerumque (si ita videbitur consultum) grandem pecuniæ vim in ærarium

rium Principis refundere cogetur, & actori damna resarcire. tametsi causa, propter quam hujusmodi tumultus excitati sunt, ad juris communis decisionem interim remittatur. scopus quippe hujus fori præcipuus hic est, fastum & arrogantiam nobiliorum mitigare, qui quod plebeios opibus longe fortassis superant, jura & leges sibi natas valde indignantur.

Fori hujus originem repetere, antiquitatis est, sed incrementum & authoritatem, sub id tempus, quo Cardinalis VVolseus, Antistes Eboracensis, Cancellarii munere gavisus est, accepisse constat: ad quem tanquam ad authorem ejus initium referre nonnulli solent, quia post aliquam temporis interpolationem, intermissa ejus authoritas sub hoc præsule incrementum cepit. quod fieri oportere res ipsa exigebat. nam qui partem Angliæ septentrionalē incolunt nobiles & generosi à Rege & justitię tribunalibus procul dissiti, bella prope continua inter se gesserunt, jus in ferro constituentes, ad inferendum & injurias vindicandum clientium & famulorū suorum auxilio muniti. hanc insolentiam Henricus VIII Princeps nobilissimus minime ferendā ratus, illos viritim ad aulam evocavit,

qui

qui postquam stellionatus postulati, verbis acriter correpti, & in carcerem conjecti aliquamdiu fuissent, (relanguescente simul cum pecuniis animo) in numerum & ordinem se componere inceperunt, & ex eo intelligere, sibi nunc obtigisse Principem, qui legum habenis & obsequio subditos suos temperare noverat. hinc effloruit hujus fori dignitas, quæ in diem hodiernum usque sarta tecta conservatur.

Qui judicio præsunt in hoc foro, sunt supremus Angliæ Cancellarius, Quæstor, Consiliarii omnes, & Barones. ET CAETERA.

In sententia dicenda major pars judicantium minorem vincit.

Pœnæ, quæ irrogantur, sunt carcer, collistrigium, mulcta pecuniaria, & sæpe una cum carcere animadversio pecuniaria.

Citari solent, vel *sub pœna*, vel per *manuum injectionem*, vel *Edicto de Rebellibus*, vel *Delegatione super Rebellibus*. *Sub pœna*, libelli aut præcepti formam habet. *Edictum & Delegatio super Rebellibus*, ad cogendos in curiam contumaces, qui comparere per contemtum renuunt, accommodatur.

Hujus fori apparitores sunt, custos

carceris qui *Fleet* dicitur, aut ſerviens ad arma.

Negotia quæ in hoc foro tractari ſolent per ſtatuta definiuntur, hujuſmodi ſunt; virginum impuberum præter parentum aut tutorum conſenſum abductio, falſarii, literarum adulteratores, nobilium calumniæ, ſeditionum rumores, turbarum & tumultuum conventicula, fraudis dolique mali architecti, & quæ in Epitome *Raſtalli* recenſentur reliqua.

CAP. V.

De Curia Pupillorum & emancipationis.

LAtine pupillus, Græce ὀρφανὸς dicitur, quem nos Anglice *Ward* dicimus. ejus cuſtos, Latine tutor, Græce ἐπίτροπος appellatur. pupillum intelligimus impuberem, & poſt fata parentis ſuperſtitem.

Romani duas in ſpecies diſtinxerunt, pupillum & minorem; illum donec XIV, hunc donec XXV annum ætatis impleverat. pupillus ſub tutoris imperio, minor ſub curatoris degebat. tutores curatoreſq; rationibus cenſuum pupillorum reddendis obnoxii erant. extantque ſuper hac re paſſim per codice

dices legum civilium dispersæ constitutiones. adeoque oneri putabatur esse, tutoris aut curatoris munus subire, negotium sollicitudinis & curæ plenum, utilitatis & commodi plane expers, & propterea excusationi rationes plurimæ inventæ.

Apud nos diversum est institutum. nam pupillum sub potestate habere perutile esse existimatur. siquidem dominus ille, à quo pupillus prædium habet, simulatque de obitu parentis certior factus est, manum ilico in corpus pupilli injicit, prædium occupat, cujus commoda ad ipsum solide perveniunt, absque eo ut rationes gestæ administrationis referat, modo pupillum educaverit. accedit insuper, quod fœminæ XIV annum ætatis attingenti, viro XXI, uxorem virumque collocat. si matrimonium sic oblatum contrahere repudiaverint, pretium vel valorem dotis aut donationis propter nuptias persolvere coguntur, cujus æstimatio ex prædii & censuum valore dependet. Et quod hactenus dixi, de illo tutelæ genere dictum velim, quod Gallice *garde noble* vocatur, quibusq; per *Servitium militare* fundi elocantur. nam aliud est obsequii sive servitii genus (Gallice *Gard Roturir* non incommode interprete-

pretemur) nos *tutelam in socagio*, id est, *per servitium socæ* (* aratri *) vocamus. proximo consanguineo obvenit hujusmodi tutela, ad quem hæreditas pertinere non potest, utpote ad avunculum, ubi ex patre provenit, vel patruum, ubi ex matre. de rationibus reddendis tenentur isti tutores (qui mos est legum civilium) pupillo, postquam adoleverit. à tutela nisi exactis XXI annis nemo est liber. quam nos ætatem justam perinde, atque illam XXV apud Romanos, dicimus. fœmina quia expletis XIV annis nubilis est, & marito tempestiva qui *Servitium militare* præstare possit, emancipatur. & quia uxores sunt in potestate virorum, (quod deinceps confirmabimus) ut sub alterius etiam præsidio aut imperio ætatem agant, videtur ab omni ratione alienissimum.)

+ Arbitrantur nonnulli hanc tutelæ speciem valde iniquam & immodicam & naturæ longe dissentaneam esse, liberi nimirum hominis, non secus atque equi aut bovis auctionem facere, & ita subinde dominos & custodes mutare, quorum arbitrio corpus opesque ipsorum regerentur, reditus affligerentur, denique ad ejus voluntatem, in fœdere conjugali contrahendo se accommodare qui prædii est Dominus; aut (quod

est

est multo indignius) ejus, qui pretio pupillum mercatus est, &,si repudiaverit, præterea grande pecuniæ summam pro reddenda libertate numerare. Ex hoc fonte pravam generosorum adolescentium educationem ajunt emanare, præmaturos concubitus, & inauspicatos connubiorum hymenæos. nam defuncto semel patre (cujus in procuranda filii salute sollicitudo est naturalis) non matri, non patruo, non consanguineo proprio, (infanti, ut credi par est, instituendo maxime intentis) verum prædii domino, Regi Reginæve, Duci, Marchioni, aut cuivis alteri,ejus procuratio debetur, aut emptori alicui & propolę,non corporis modo sed matrimonii deligendi summa potestas. Ad Principé quia plurimi pupilli spectant, aut vendendi aliis sunt aut donandi. ad alios quod attinet, lucrum haud secus ex tutela quam ex bove aut alio pecore sibi comparant: quibus ingenitum pupillorum rem provehendi nullum est studium. nam qui tutelam nundinantur,ægre patiuntur pupillos suos operam alicui scientiæ aut studiis difficilioribus navare aliquam, ne morté aut ægritudinem ex nimio labore contrahant,unde pecuniam omnem frustra & inaniter absumptam esse contingeret,

nisi elocata prius in matrimonium filia, sorore, aut consanguinea. ita qui patrem habuit hospitalem, quique familiam numerosam bene potuit alere, ubi ad plenam pubertatem pervenerit, sylvas excisas, ædes dirutas, attritum peculium, proscissos ad sterilitatem agros videre, (quod caput rei est) censum annuum suppetiarum nomine domino persolvere, & *ouster le main* persequi cogetur, (hoc est) ut fundi possessiones sibi adjudicetur, aut nisi post exactum cõplurium annorum spatium, immo (quod plus est) interdum nunquam sortem paternam consequetur. Hoc extremis difficultatibus laboranti Henrico III ad tempus concessum fuisse nonnulli arbitrantur, gliscente inter Regem & Barones bello: auctum deinde & majoribus incommodis affectum, & in plures personas propagatum, qui ultimam regno, nobilibus, & libertati Anglicanæ cladem & perniciem afferat, fieri nullo modo posse. sunt qui ex adversa parte respondent, nullam pupillo creatam esse injuriam. nam vel pater fundos acquisivit, vel à majoribus tali superimposito onere quasi per manus accepit, & quia per servitium militare prædia sibi deberi vendicat, (quod in armis & vi bellica positum

positum est) quando per ætatem id præstare non possit, æquissimum esse, ut fructus ad Dominum redeat, ex quibus equitem militemque æque fortem & valentem queat sustentare.

Qui Romæ antiquissimi equites deligebantur (asserente Livio) equum publicum, in quo stipendia merebant, viduarum & pupillorum sumptibus subministratum habuerunt; ut propterea res nova cuiquam non videatur, quæ Servio Tullio in Republica prudentissima comprobata fuit. nam puerorum educationem, ad formam militarem olim institutam, quamobrem nunc quisquam calumnietur, ratio subesse nulla potest. verisimilius tamen ab omnibus putabatur, viros nobiles, equites fortes & strenuos belli duces, operam daturos, ut pupillos suæ fidei concreditos suis artibus & virtutibus imbuerent, & in familias gentesque per matrimonium insererent, unde amicitias plurimorum colligerent. & vero quis rectæ generosorũ educationi melius prospiciat, quam qui tales servitio militari sibi obligatos habuerit? aut quis magis velit quam qui inde obsequium sibi præstari speraverit?

Quod ab Henrici III temporibus hanc tutelam nonnulli deducunt, à

veri ſcopo alienum videtur. nam per Normaniam, cæteraſque Galliæ provincias etiam nunc obtinet. atque ex eo ſtatuto, quod de re pupillari ſub Henrico III ſancitum invenimus, ſi quis diligentius introſpexerit, modum tutelæ potius aſſignatum deprehendet, indeque argumentum capiet, tutelam longe antiquiorem fuiſſe. cæterum de hac quæſtione alius erit diſputandi locus. in præſentiarum hæc habui quæ enarrarem.

Hujus fori *præſes* eſt pupillorum & emancipationum cuſtos.

Officiarii ſunt, pupillorum procurator, curator rationarius, quęſtor, ſcriba, duo procuratores communes, inferiores miniſtri, nuncii, apparitores. *Procuratorem* eum appello, qui titulum & jus Regium defendit, datum cuſtodi pupillorum adſeſſorem. *Curatorem*, qui emancipationes confirmat. *Rationarium*, qui ſubducendis rationibus præeſt, & citationum formulas explicat. *Quæſtorem*, qui pecunias fiſco applicandas colligit. *Scribam*, qui acta judiciaria & decreta fori literis conſignat.

Negotia, quæ in hoc foro tractantur, ſunt ex tutelis, nuptiis, ſuppetiis pupillorum, & demandata illis poſſeſſione, commoda emergentia.

Cita-

Citatio generalis in hoc foro delegatio est, edictum, monitio de comparendo coram custode pupillorum. Speciales citationum formulæ sunt, *Diem clausit extremum, Devenerunt, Melius inquirendum, Datum est nobis intelligi, Quæ plura.* super istis omnibus videndus est Stanfordii Codex, qui de prærogativa Regia inscribitur.

Hinc emancipationum omnium genus emanat & *parvi sacculi scribis* commendatur.

Quando justam ætatem hæres declaraverit emancipationem suam persecutus, tum clientelam suam coram Principis delegato agnoscere oportet, & premium domino Privati Sigilli persolvere.

CAP. VI.

De Curia Ducatus.

CVria Ducatus Lancastrensis etiam ad Regem spectat, in qua actiones in personam & in rem, quæ fundos Ducales quoquo modo attingunt, disceptantur.

Hujus fori præses est Cancellarius, assidentibus Procuratore Ducatus fiscali, scriba, curatoribus quamplurimis, duobus Procuratoribus communibus, Rationariis aliquot, Adsessoribus & juriscon-

risconsulto Regio. *Cancellarii* munus est, æqua lance inter Principem subditosque distribuere. *Procuratoris Ducatus fiscalis*, jura regia promovere, Cancellario adsidere, & quod juris est submonere. *Scriba* est, acta & archiva conservare, & citationum formas explicare. *Curatorum* (quorum unus reliquis præest) fundorum limites metari & definire. *Rationariorum* (inter quos unus cæteros antecellit) calculo redituum acceptorum præsidere. *Procuratorum communium* est, litigantium votis & querelis inservire. *Adsessorum* est, difficiles legum nodos explicare. *Iurisconsulti Regii* officium est, jus Principis promovere. Spectat ad hoc forum *Procancellarius*, qui Comitatui Palatino Lancastriæ inservit, cujus officium est, citationes originales decernere.

Citationis forma *sub pœna* nuncupatur.

CAP. VII.

De Curia libellorum supplicum.

IN hoc foro querelarum & supplicationum omne genus Regię majestati exhibitarum ad audiendum & discutiendum proponitur, extra quas in jure dicendo nullam authoritatem obtinet. cui nomen *pauperum & indigentium* *firi*

ri ob eam causam inditum est, quia absque mercede aut pecunia jus suum cuique tribuatur. *Curia* quoque *Conscientiæ* appellatur.

Huic judicio præsunt libellorum supplicum magistri duo, qui, quid æquum & bonum sit, tam ex jure Cæsareo quam ex municipali dijudicant.

Officiarii sive ministri ad hanc curiam spectantes sunt, Scriba, Examinator, Procuratores tres, Nuncius sive Apparitor unus. *Examinatoris* est, testes juramento onerare, eorumque dicta literis consignare. *Procuratorum*, negotiis litigantium expediendis inservire. *Apparitoris*, in jus reum vocare.

Quæ in hoc foro agitantur negotia, sunt quæ per preces aut libellos supplices Principi offeruntur, sed potissimum petitiones indigentium. Citationis forma, est vel *sigillum privatum*, aut *edictum de Rebellibus*; quorum ea vis est qualem antea in processu Cameræ stellatæ fuisse diximus.

CAP. VIII.

De uxoribus & nuptiis.

ANglorum uxores (quod supra etiam attigimus) in potestate maritorum suorum sunt, non ea ratione, quasi maritis in uxores suas, pro more Roma-

Romanorum, vitæ necisque indulta sit licentia, (nam Principi soli id licere diximus & legibus suis) sed quoniam ante nuptiarum solennia quodcunque acquisiverint, peracta mox nuptiarum celebritate id maritis omne acquiritur: sive æs signatum, argentum, aurum cælatum, gemmas, pecudes, aut quicquid est bonorum mobilium intelligas. ad fundos & prædia & hæreditatem quod attinet, ad proximum successorem pervenire leges volunt.

Vxoribus neque mariti res neq; suas donare aut alienare licet. in bonis mobilibus constanti matrimonio jus nullum habent, nisi quale servi aut filiifamilias peculium sibi vendicant: in quibus si testamento nihil legetur, nihil debetur, quemadmodum neque filio ipsi. cætera penes executores sunt, si testamentum suum aut voluntatem ultimam condiderit. Attamen Londini & in aliis etiam permagnis urbibus mos inolevit, ut, postquam aliquis mortem obierit, bona ipsius omnia in tres partes dividantur. funebribus impensis & legatis triens impenditur: trientem alterum uxor ad se rapit: tertius demum triens inter liberos per capita distribuitur. quare ibi loci ultra trientem bonorum aliquid legare fas non est. sin testamen-

stamentum nullum scripserit, quicquid præter impensas funebres supereſt, inter uxorem & liberos ex æquo dividitur. Lege municipali cautum eſt, ut ſi quis inteſtato moriatur, tum judex loci ordinarius (quem Epiſcopum eſſe omnes intelligimus) interdum Archidiaconus, Decanus aut Canonicus aliquis, per privilegium aut longi temporis pręſcriptam conſuetudinem, defuncti bona, viduæ, puero aut conſanguineo proximo, pro ratis portionibus inter eos, quibus ex æquo & bono debentur, adminiſtranda concedat. Ordinarium vero loci judicem tanta gravitate prudentiaque informatum exiſtimamus, qui, pro ea ac tam abſolutæ authoritati conveniat, per trientes & ſemiſſes bonorum, quod juſtum eſt, exequatur. Majores noſtri ubi paganiſmum exuiſſent, & Chriſtiano cultui ſe addixiſſent, tantum fiduciæ & religionis paſtoribus ſuis adſcripſerunt, ut illorum arbitrio id ratum eſſe voluerint. neque abſimile vero eſt, eos bene ſe geſſiſſe, neque ſuis ipſorum commodis aliquid indulſiſſe: id ſemel ordinatum apud nos permanſit intactum: tametſi ejus poteſtatis corruptelam & abuſum quibuſdam Senatusconſultis parlamentariis Henricus VIII caſtigavit. Sed ut è diver-

diverticulo in viam iterum redeamu uxores maritorum poteſtati ita ſu obnoxiæ, ut non ſolum completis n ptiarum ſacris in manus ipſorum bo harum perveniant, ſed patris (ut pi mum viro nupſerint) gentiſque cogn men amittant ilico, & maritorum a ſumant, quaſi in ſolum externæ fam liæ transplantatæ, ut ſi prius uxori me *Philippæ Vitfordiæ* nomen fuerit, *Phi lippæ Vitfordiæ* amplius non erit, ſe *Philippæ Smithæ*, &, ſi ad alia vot poſtea convolaverit, nomen cum vir ſemper permutabit. Quod ſi Baron aut Equiti nubat, ex quo conjugio ſi mul cum viri cognomento titulum *Dominæ* aſſumit, quum ad ſecunda nuptias viri ignobilis deſcenderit (vide quantum fœminis concedamus) *Dominæ* appellationem ſemper retinebit.

Credo ego, apud antiquiores Romanos nuptias, quæ per *conceptionem in manum* & *per æs* & *libram* contrahebantur, uxores in poteſtate virorum conſtituiſſe, quarum etiam apud vetuſtiorum legum noſtrarum Codices expreſſa ſunt veſtigia. convenerat enim in mariti manum ex traditione parentis uxor; Templi limen ingreſſura, ſuper Codicem ſacrum, aurum argentumque vir exponebat, quaſi eo precio emptu-

empturus; vicem *libripendis* ſacerdos implebat. Ratas apud nos eſſe impetramur nuptias, poſtquam in eccleſia coram presbytero teſtibuſque nonnullis celebrantur. hoc pacto vir & uxor, beneficiorum omnium participes fiunt quæ jura noſtra elargiuntur, ex eaque copula prognati liberi *legitimorum* jus obtinent. adeoque, ſi mihi continget, nuper defuncti viduam uxorem ducere ſub obitum viri ſui prægnantem, ſi prolem poſt nuptiarum ſolennia pepererit, leges mihi heredem adjudicabunt: ita rigide vulgatum axioma interpretamur; *Pater eſt quem nuptiæ demonſtrant*. Illis rationibus, quibus jura natalium ſpuriis reſtituit *Juſtinianus*, (legitimos *muliers* aut potius *melieurs* appellamus) nullus eſt in Anglia relictus locus. nam neque Pontifici, Imperatori, Principive, ſed Parlamentariis Comitiis id permiſſum eſt, ut ſpurios beneficiorum illorum affines faciant, quæ ex legibus noſtris proveniunt.)

Quamvis in manu & poteſtate viri uxor fuerit, non tamen quaſi in ergaſtulo concluſa, aut ſatellitio munita, ut in Italia & Hiſpania fieri aſſolet, ſed quæ eſt per Galliam uxorum libertas, eam apud nos prope aſſequuntur. ve-

rum domesticorum procuratio illis incumbit, munus certe idoneum & opportunum, quod ad uxores Græcorum etiam pertinuisse, Aristoteles & Plato affirmarunt. nam virorum est, legibus & armis suum tueri, & forensibus negotiis implicari.

Videri fortassis possunt iniquiores esse in fœminas leges nostræ; viros suos tamen ex morbo decumbentes, lectoque affixos tam blande & benigne norunt permulcere,ut, cum nihil in bonis maritalibus sibi ex jure vendicant, ex donatione virorum suorum possideant universa. & perpaucæ sunt, quæ sententiam testamētariam aut non exsequantur, aut sibi assignatam liberorum educationem & bonorum administrationem non habeant, nisi quod Londini aliter usu & moribus receptum sit.

De bonis mobilibus sermonem hactenus produximus. Si uxor ex hæreditate fundum aut prædium secū ad nuptias afferat, ejus ex asse fit hæres filius natu maximus,aut inter filias per capita distribuitur. quin etiam moris est,ut fundum dotalem aut aliunde emptum viro distrahendi aut alienandi nulla sit authoritas, tametsi uxor assensum adhibuerit, neq; ipsi etiam fœminæ (constante matrimonio) nisi coram judice remo-

remotis arbitris examinatæ. Si proles nulla ex illo cõjugio naſcatur, prædium ad proximos hæredes ex jure nuptiali devenit. ſi primum mortem obierit uxor, ſin aliquem naſci contigerit, qui ſe vitalem eſſe clamando demonſtret, fundi uſus fructus ad virum recidet, tametſi infans cõfeſtim morte abſumatur. Atq; hoc *humanitas Anglicana* dicitur. Pari ratione, ſi vir fundum jure hæreditario obtinuerit, aut aliunde emerit, atque uxore ſuperſtite diem extremum clauſerit, ejus fundi trientis uſusfructus ad uxorem quoad vixerit pertinebit. ſi quos ſuſcepit liberos, tum ex reliquo beſſe hæres inſtituitur filius natu maximus; ſi nullos, ad proximum jure municipali ſucceſſorem fundus devolvitur. ſi uxori non probatur hæc diviſio, liberum ei erit trientem loco donationis propter nuptias in præſtantiſſimis mariti prædiis petendi jus.

Quę de nuptiis diſſeruimus hactenus, de eo jure, quod in bonis mobilibus & immobilibus occupamus, ſecundum legum noſtratium uſum intelligi debent. nam ſi privata pacta aut conventa inter virum & uxorem, inter parentes amicoſque ſuper matrimonio fiant, ſervantur. & de uxoribus & de nuptiis ſatis eſſe poſſunt quæ nunc diximus.

CAP. IX.

De liberis.

Liberi nostri in potestate parentum suorum non ita constituuntur, u olim apud Romanos, sed ut primum ad pubertatem pervenerint, peculium suum donandi, vendendi, aliud emendi, plenum jus habent. nam ante illam ætatem, per quam sapere incipiunt quid aliud sunt quam partes parentũ *Emancipationi* nullus est in Anglia locus, quemadmodum neque *suorum hæredum de inofficioso testamento, nequ præteritorum liberorum non emancipatorum querelis*. Extra causam matrimonii nullus est legitimandi libero modus. quare adoptio arrogatioque quid velint, plane nescimus. Per supremam voluntatem liberrimum es testandi disponendique in bonis mobilibus arbitrium. neque ad eas ceremonias testamenta nostra astringuntur quas leges civiles postulant; sed jur militari conduntur.

In *rebus soli*, id est, in fundis legandi ratio est admodum diversa. nam ub pater mortem oppetit, ad filium nat maximum fundus hereditarius pervenit, ad ceteros filios filiasque omnino nihil, nisi patre adhuc vivente aliqui

ı ipſorum uſus donetur, aut in teſta-
ıento ſcripto ſignato traditoque co-
ım teſtibus (quod Iureconſulti *Diviſe*
ocant) aliquid relictum ſit de ſumma
ereditatis delibandum: alioquin aut
ratri natu majori inſervire, aut rem
uocunque modo comparare hos ne-
eſſe eſt. ſi defuncto liberi maſculi non
uperfuerint, ſed filiæ, fundus in illas
æqualiter derivatur. Quanquam jure
ordinario & municipali, prædiorum
ıniverſum jus, ad filium natu maxi-
num pervenire diximus, æquo tamen
ure in quibuſdam Angliæ partibus, filii
omnes hæreditatem adeunt, quod jus
n pleriſque *Cantii* locis uſitatum eſt,
& *Gavelkind* dicitur. In quibuſdam lo-
cis, filius natu maximus omnem hæ-
reditatem cernit, in aliis aliter uſu ve-
nit. verum iſta ad communem Rei-
publicæ adminiſtrationem & politiam
non ſpectant, ſed particularem potius
conſuetudinem, extraque legum no-
ſtratium orbitam evagantia dici poſ-
ſunt. De Republica interim ex com-
muniter contingentibus ſermo eſt.

CAP. X.
De ſervitute & ſervis.

POſt abſolutum de omnibus libero-
rum hominum generibus tractatū,

superest, ut de servis aliquid adjiciamus, quorum in Digestis & Codice Iustiniani plurima sit mentio. Duplex fuit servorum apud Romanos species. alii siquidem *servi* dicebantur ære redempti, in bello capti, testamento relicti, aliis denique rationibus acquisiti, ut vernæ & ancillis nostris nati. hi omnes, *mancipia* ad personam hæredesq; suos immediate pertinentia dicuntur: alii *adscriptitii glebæ* aut *agri censiti*, qui non personæ, verum prædio annexi erant, hodieque apud nos tanquam hæredii aut prædii partes censentur. de utroque genere quotquot sunt, numerum nullum constituunt, & in primo genere novi neminem, in altero perpaucos, ut de iis sermonem ampliorem instituere, vix sit operæ pretium, tametsi leges nostræ utrumque genus agnoscant.

Servi plurimis rationibus apud nos iisque longe facilioribus manu mittuntur, quam quæ legibus civilibus præscribuntur: & libertate donatus, non libertus manumittentis, sed liber homo evadit. Cæterum, ex quo fidem Christianam amplexi sumus, quæ per Christum omnes nos fratres efficit, & coram Deo Christoque conservos, religio hominum animos invasit, ne, quos fratres agnoscere & Christianos oportet, id

est,

est, per Christum sempiterna salute gavisuros, prædura servitute opprimeremus. Hinc effectum est, ut sancti patres, monachi, fratresq; in arcanis illis conscientiæ colloquiis, & instante potissimum mortis periculo, confitentes impulerint, ut statu liberos & ingenuos ex servis redderent; quum interim illi patres nihil tale præstarent; sed deprædandis diripiendisq; Ecclesiis suis intenti, mancipia ecclesiastica non liberarēt, servos suos in servitute retinerent; quorum exemplis Episcopi insistentes, ab ista crudelitate, nisi precio conducti, aut calumniis impetiti, sero deterreri potuerunt. Dein æquatis solo monasteriis, & in manus laicorum recidentibus, libertatem omnes adepti sunt.

Non eadem atrocitate in servos nostros atque olim à Romanis Græcisque in suos sævitum fuit; cui rei ipsorum comœdiæ testimonium perhibent: verum pro dominorum arbitrio, fundis quibusdam gaudere, rem uberiorem comparare ipsis permissum, ut detonderi à dominis aliquando possent, non secus atq; Galli faciunt, qui subditorum suorum (quos appellant subjectos) facultates, sicubi excreverint, solent resecare. Censeo equidem, in Anglia Galliaque (transeunte à paganismo in Christianismum

nismum religione, quam humanitas & æquabilitas summa consequuta est) asperrimam servitutis conditionem paululum mitigatam, & rationem inventam, qua servi glebę adscriberentur, & ad benigniorem vitæ statum transferrentur, ut ad id non gravate faciendum inducerétur. quod sub gentilismo ut præstarent, nisi per omnium excidium & internecionem, nulla vis potuit efficere. nam quamvis sacris lotionibus quotquot abluimur, in Christo fratres appellemur, atque ex eo parem libertatem obtinere videamur, tamen eodem lavacro servos liberosque intingi, qualesque accepit, tales quin relinquat Baptismus, quis unquam inficiabitur? Illud certi juris est, leges civiles, verbo divino non diffidentes, & inter homines pacta conventa, hoc sacro mysterio tantum abesse ut aboleantur, ut opinione mea confirmentur magis. Nihilominus tamen viri boni beneficium ex servitute ista paulatim sibi compararunt, qua Ethnici usi sunt, quamque Christiani pariter ac Turcæ in bello captos exercent. Turcas & Ethnicos eos voco qui ab omni cultu Christianorum abhorrent, in unum Deum vel in plures fiduciam referentes, quorum imagines divinis honoribus prosequuntur. nam

Iudæo-

Iudæorum lex probe omnibus cognita, eſt, ipſique (quantum ego intelligere potui) pro ſervis ubivis gentium æſtimantur, neque imperium aut principatum aliquem obtinent, ſecundum ſacroſancta prophetarum vaticinia multo ante id futurum prædicentia, poſtquam Chriſtum ipſis promiſſum & oblatum indigniſſime repudiaſſent. nam quando illum agnoſcere noluerũt, animarum ſuarum prę́ſidium & honorem in hoc mundo abjicientes & ſacroſanctum Dei Euangelium nihili facientes, ejus aliquis in nobis, qui Gentiles fuimus, divina bonitate fructus effloruit, peperitque in nobis humanitatem, benignitatem, manſuetudinem, decus & ſanctam ſcientiam, &c. Sed (ut ad inſtitutum negotium pedem iterum referamus) quanquam iſta Chriſtianorum perſuaſio, quæ fratrem in Chriſto procreatum, inſtar pecudis ſervilem in modum tractare ſubveretur, & Chriſtianæ Religionis ſumma benignitas, regna Turcis & Barbaris non adjacentia pervaſit, ipſiſque hominum conſcientiis ſcrupulum injecit, ne ſervos aut mancipia amplius apud ſe retinerent: inſignis tamen effecit neceſſitas, ut ſervitutis ſpeciem quaſi & imaginem retineremus, ut neque ſervis auxilium, &

liberis hominibus obſequium non deeſſet. Quocirca alii ſervos eſſe omnino noluerunt: *adſcriptitios glebæ* voluerunt, ſimul ut miniſteria ſubirent, ſimul ut agri inſalutares, & infœcundi, ſolitudinem non paterentur. alii viam excogitarunt, ut non perſona, ſed fundus, hujuſmodi operas & obſequia præſtaret; ut, fimum in agros exportare, terram colere, ſementem facere, ſegetem demetere, ad curiam venire, fiduciam juramento teſtari, & pro domini voluntate fundum poſſidere.

Iſte poſſidendi modus *ſervilis* in jure noſtro appellatur. habet tamen fundus (ubi rem altius inſpexeris) aliquam ſervitutis notam, etiam qui libertatem præ ſe fert maximã: non eam modo quam agri humiliores & depreſſiores debent eminentioribus, dum manantem inde aquam & ſordes accipiunt, neque eam, quam Iuſtinianus in tit. de ſervitutibus prædiorum ruſticorum & urbanorum clare deſcripſit; ſed ipſum poſſeſſorem quadam ſervitute fundus afficit. nam ab omni opere & obſequio (regem ſi excipias) fundũ immunem nemo poſſidet. cæteri omnes fiduciarii ſunt poſſeſſores, & ſervitutem debent, hic prædii domino, ille viciſſim alteri ſuperiori, donec per quoſdam gradus ad ipſum prin-

principem aſcendas. Quamobrem, ſi quis morte defungatur & prædium obtinuerit, quod ſuperiorem non recognoſcat: illud regi (ut loquuntur) acceptum refertur. quod à militari ſervitio non longe abeſt: trahitque ſecum jus clientelare, tutelare & nuptiale. hoc eſt, fidelem ſe futurum domino ſuo jurabit; filiuſque ipſius poſt obitum patris in nuptiis ſuis contrahendis ad domini arbitrium & conſenſum ſeſe accommodabit.

Fidelitatis ſive fiduciæ juratus apud Laïcos eſt longe liberrimus. nam qui in puram eleemoſynam & liberum (ita loquimur) maritagium erogantur, ab alia cauſa ortum habuerunt. hoc eſt, juramenti religione ſe obſtringit, non niſi de fide præſtanda deque operis & obſequiis domino perſolvendis. idcirco prædia, quæ libera ſunt, feudataria ſunt, hoc eſt, fiduciæ nomine poſſidentur, & ſacramento fidei poſſeſſorem obligant de reditibus & cenſu exhibendis, miniſteriis præſtandis, conditionibus demum omnibus implendis, quæ in prima *donatione* recenſentur. ideoque (præter unum Principem) cæteri veri domini non ſunt, ſed fiduciarii domini ac poſſeſſores. Iſta interpretatio quam Littertoni ad veritatem ac-

 cedit

cedit propius, qui *feudum* idem esse quod hæreditas per errorem arbitratur, refragante apud omnes linguas verbi significatione. magni ingenii, doctrinæque viris celeberrimis hoc vitium propter linguarum inscitiam obrepere solet, maximeque si vocum deductiones non advertant. Fides (Gothis primum in Italiam ingredientibus) in *fede* versa est: hodieque Itali dicunt in fide *en fede* aut *à la fe*: ex eoque, quod Latino-Barbarum vocabulum indoctus aliquis jurisconsultus, dum voluit exprimere prædium sub fiduciæ nomine alicui donatum, *feudum* aut *feodum* appellavit, verbi natura clarius, in quod nos *fef feoff* aut *feoffres*, elucescit. nam ultimum hoc *fiduciarios possessores* aut *fideicommissarios*, illa priora *dare in fiduciam* aut *fidei committere* denotant. Eodem errore lapsus est in *Withernam* aliisque obsoletis vocabulis Littertonus. *Withernamium* illis interpretatur *vetitum namium*, sed qua lingua, ipse hercle ignoro. quod tamen Germanice si efferas, est vetusto sermone Saxonico *Wythernempt*, hoc est, alterum accipere, aut vicissim rapere. barbare Repressalia dixeris. quomodo aliquis pignus à me accipit, atque extra territorii limites abducit, ego
vicis-

vicissim aliud per mutuam deprædationem contrectem, atque intra ejus territorii fines, cujus sum incola, inferam, ut per æqualem injustitiam jus æquale obtineam. *Repressaliorum* & *Withernamii* jus idem non est, sed natura plane eadem, eademque verbi utriusq; propria significatio. Sed ut, unde digressa est, eo revertatur oratio, perspicuum est, liberos homines suique juris, & maxime ingenuos, servitutis habitum, per annexam prædiis conditionem, quendam induere, hoc est, possessores, præter censuum & redituum in singulos annos præstationem, fidem, officium, cultum, obsequium (ut libertus olim & cliens patrono) domino suo debere: quod quoniam personis non adhæret, sed fundo ejusque culturæ, non liberum hunc aut clientem dixeris, illum patronum, sed feudatarium, & feudi dominum. nam dimissa semel fundi possessione, servitutis & obsequiorum omnis obligatio confestim tollitur.

Frequens etiam in Anglia est aliud servitutis genus, quod *(apprentiethood)* tyro dicitur. sed pactionibus hoc constat, & ad tempus contrahitur, &, quam diu manet obligatio, *vera est servitus.* nam quicquid proprio Marte aut ex domini

domini artificio & peculio acquiritur, totum illud acquiritur domino. extra heri sui ædes non licet pernoctare, neque in suo peculio negotiationem exercere, aut uxorem absque domini venia ducere, sed ministeria domestica obire, præceptis herilibus auscultare, pœnas ut libet hero luere, vestem victumque domini sumptib⁹ quæritare. Herus interim artificium suum edocere obligatur, pro quo septem aut octo annos, interdum novem aut decem, prout inter ipsum & pueri parentes amicosve conventum est, inservire tenebitur. estque pro *emptitio servo*; quod Polydorus observavit. tametsi ex illo fonte nomen non deducitur, neque ex vi verbi colligi possit. nam *apprendre* Gallice (si Latine reddas) ediscere sonat, & *apprentize* apud Gallos, quibus hoc cum multis aliis acceptum referre oportet, quasi Latine *discipulus*. similiter ille cui obligatur, non dominus, sed herus, quasi præceptor aut informator appellatur. simul atque de pactis convenerit, literis consignantur & utriusque sigillo muniuntur, & in matricula ad firmiorem custodiam conscribuntur. Absque eo, quod talem servitutem Londini serviveris, totque annos in servitute impleveris, nullus, tã-

etsi

etsi Londini natus & parentibus Londinensibus ortus, civitate donatur; id quod in aliis urbibus usu etiam confirmatum est.

Præter hanc Tyronum servitutem, alii stipendiis conducuntur, qui servi etiam vocantur, quorum mitior est quam Tyronum conditio, & ad definitum aliquod spacium operã tantum suam instar servorum & ancillarum elocant, ad alia quod attinet, libertatis diminutionem nullam patiuntur.

Sed servis, operariis, aliisque qui operam suam mercede conducunt, si cœlibes fuerint, commune est, ut per integrum anni spatium heris suis inserviant, & servitutis onus nisi ab hero prius impetrata licentia abjicere non possint, herumque suum super discessum per anni quadrantem certiorem faciant, si infra tempus constitutum abire moliuntur. id nisi fecerint, altero quoque anno servire necesse est. Et cœlibes qui nemini inserviunt, numellis & verberibus castigantur, nisi herum aliquem potuerint designare, cui operam navare ad unius anni spatium compellantur. Et si cœlebs aliquis aut conjugatus, qui se suis censibus alere non potest, otiose aut segniter vixerit, in carcerem conjicitur aut tanquam

erro

erro punitur. tantum ab otio & inertia abhorret politia nostra. hocque Eirenarchis non leve mandatum imponitur. Inhumanitatem putant esse & inimicitiæ non obscurum genus, si quisquam generosi alicujus servum (utcunque herili obseqrio liberatum) in clientelam suam receperit, nisi id à priore domino factum intellexerit. Quod de servis hactenus, id ipsum de ancillis dictum putate. Atque ita ex præscripto servitutis ordine, pauperem indigentem juventutem servire oportet, si unde se alat sustentetque non habuerit.

Ita, quoniam verorum servorum penuria laboramus, efficit necessitas, ut liberis hominibus tanquam servis utamur, quibuscum tamē liberalius quam cum servis agitur. Primum hoc atque ultimum servitutis genus, apud illas nationes usitatum est, quæ veterem illum servorum & mancipiorum morem rejecerunt. Atque alii quidem aliter faciunt, aut liberaliter, aut serviliter servitutem pro ingenio populi instituendo.

CAP.

CAP. XI.

De foro spirituali & ecclesiastico, quod Curia Christianitatis appellatur.

IN quatuor potissimum causarum generibus Archiepiscopi Episcopique peculiarem jurisdictionem sortiuntur; in testamentis & legatis; in decimis & mortuariis; in nuptiis, adulterio aut fornicatione; & in iis demum omnibus, quæ ad ordinem & decus ecclesiasticum conservandum, & religionem constabiliendam pertinent. nam majores nostri rempublicam primo ordinarunt, postea fidei Christianæ nomen dederunt, & *politiam* sic constitutam cum ea quam Apostoli, Doctores Theologique religionem invexerunt, semper retinuerunt, quicquid ad conscientiæ forum pertinebat, illis, utpote peritioribus & ob vitæ sanctimoniam morumque probitatem laudatissimis, quibusque confidebant maxime, delegabant.

Quamobrem hæc negotia in ipsorum curiis pro more legum civilium aut municipalium per citationem, libellum, litis contestationem, testium examinationem, exceptiones, replicationes, allegationes, per sententias,

perque appellationes tam à gravamine quam à sententia definitiva, expediuntur, suosque Procuratores, Advocatos, Adsessores, Ordinarios, Commissarios habent, &c. quæ longe ab ea forma judiciorum absunt quam supra exposuimus. Nam si testamentum adulterinum aut suppositiium esse dixero, actionem in Curia Ecclesiastica proponere oportet. si rem aliquam à testatore mihi legatam petiero, id ipsum obtinet. Sin executorem aut administratorem condixero, (qui in jure nostro eandem personam repræsentat, quam in jure Cæsareo hæres aut bonorum mobilium possessor ab intestato) illi in causa debiti à defuncto præstandi coram judice laico lis est intendenda.

Adeo distincta est utriusque jurisdictio, suisque quasi finibus forum alterum ab altero divisum, ut qui Romæ aut in alio quovis foro Ecclesiastico, actionem ob eam rem intentaverit, quæ in Angliæ foro Laico judicium experiatur, pervetusta Anglorum lege gravissimam *Præmunire* pœnam sustinebit, hoc est, bona ipsius omnia fisco adjudicantur, corpus carceri mancipatur, tantisper donec aliter Principi videbitur. Iudex etiam, Scriba, Procurator,

rator, adſeſſor, qui vel admittunt vel uſurpatam illam juriſdictionem tuentur, conſimili pœna plectuntur. Vtrum huic ſanctioni ſtatutariæ de *præmunire* nomen obtigerit ab eo, quod Regni juriſdictioni & authoritati ante proſpectum fuerit, hacque conſtitutione illa quaſi vallo quodam munita ſit, an quod periculum prædicendo quaſi præmoneat, ne quis in commiſſum incidat, nihil nunc habeo quod definiam. Sub imperium Richardi II ſancitam hanc legem primum accepimus, ob eum maxime finem, ne quid per ambitionis aut avaritiæ alluvionem foro Eccleſiaſtico accreſceret. nam *Curia iſta Chriſtianitatis* ab ea quæ *Curia Regis Reginæve* appellatur, multum abeſſe (utpote externa) cenſetur, & à forma politiæ & adminiſtrationis noſtræ longe diſſidet.

Verum in præſentiarum Curia hæc perinde atque cæteræ omnes, virtutem, vim, authoritatem, imperium, juriſdictionemque ſuam, præterquam Sereniſſimæ Majeſtati, & diademati Regio, poſt immortalem Deum poteſtati aut principi accepta refert nemini. Id ſi verum eſſe concedas (quod eſſe conſtat veriſſimum) tum ſanctioni ſtatutariæ de *præmunire* nullus per Angliam

T. locus

locus relinquitur, quando alibi *quam in Curia Regis ac Reginæ* jus nullum dicitur.

Administrationis & politiæ Anglicanæ formam quasi in tabula, aut, ut Aristotelis more dicam, ὡς ἐν τύπῳ, breviter vobis ad intuendum proposui. quid suum habeat, quidque ab aliis rebuspublicis, Gallorum, Italorum, Hispanorum, Germanorum, diversum, quæ civilibus legibus Romanorum in Pandectas & Codicem à Iustiniano redactis reguntur, enarravi; non ad eum modum, quem Plato in sua republica aut in primo regno Persarum describendo Xenophon, nedum in Vtopia Thomas Morus secuti sunt. efformarunt illi scilicet rerumpublicarum icones, quales neque olim fuerunt aliqua nec in posterum erunt, studio (ut videtur) aut tempus fallendi aut ingenium suum ostentandi. Ego vero Anglicanæ reipublicæ, sicuti nunc est, statum & administrationem exhibeo, die nimirum Martii XXVIII, anno salutis humanæ MDLXV, Regni Elizabethæ lectissimæ serenissimæque Principis Henrici VIII F. anno septimo, postquam ipse ætatis meæ annum LI complevissem, & apud Carolum Maximilianum Galliarum Regem inclytum, sub imperi

rii ſui annum quaſi quartum legatione functus eſſem. quamobrem, vere ſcripſerim necne, non erit difficile judicium, utpote quod in oculos pene omnium incurrit, & ipſis quaſi manibus palpari poſſit. Quandoquidem igitur verum eſt hoc reipublicæ exemplar, cum cæteris etiam quæ nunc ſunt rerumpublicarum formis (quarum apud optimæ fidei hiſtoricos plurima fit mentio) conferamus, quaſque habeant differentias videamus, ut quis domi militiæque commodiorem in populo gubernando rationem modumque inveſtigaverit intelligamus. Erit hoc homini philoſopho negotium non indecorum, & politico non inutile, qui recta conſilia ad Principis populique ſalutem procurandam adhibere voluerit.

V.

DE OPVLENTIA ET POtentia Regni Angliæ.



Pulentia regni Angliæ è variis æſtimari poteſt. Et quidem Primo, ex eo, quod ſolum abunde producat in omnibus pene provinciis ea omnia quæ ad vi-

tam humanam necessaria sunt, præter oleum & vinum, (licet & vinum aliquando produxisse memoretur,) & ea quæ magis ad voluptatem, quam necessitatem, sunt comparata.

Secundo è metallorum copia, quæ terræ venis in plurimis provinciis continentur; quorum ea quæ nobiliora sunt, puta aurum aut argentum, admodum parce; cætera vero, ferrum, stannum & plumbum, abunde hic eguntur.

Tertio è tenuissimarum lanarum immensa copia; & pannificio, quod hic supra modum floret, & quidem adeo, ut nulla alia regio in terris plures aut meliores pannos texat, quorum hodie, crescente in dies industria, incredibilis est varietas.

Quarto è commerciorum opulentia; quæ ex eo nascitur, quod magna optimi stanni & plumbi copia, ingensque numerus pannorum omnis generis quotannis in omnes pene Europæ atque adeo totius orbis partes evehatur, præter alias omnis generis merces. Hoc nostro tempore (Camdeni sunt verba, ad annum M D L X I V, è rationum tabulis) commercium inter Anglos & Belgas XII milliones aureorum in singulos annos superavit, & panni

Anglici

Anglici (ut plumbum, ſtannum & cætera taceam) Antvverpiam quotannis exportati v millionibus aureorum sunt æſtimati. Sed ut propius ad noſtra tempora accedamus, anno cIↃ IↃc XIII ex indubitatis rationibus conſtitit, anno ſuperiore merces è regno in varias orbis partes evectas æſtimatas fuiſſe 2090640 libris ſterlingenſibus. Anno itidem cIↃ IↃc XXI æſtimatæ fuerunt 1944264 lib. ſterl.

Quinto è navigandi peritia, & navalium ſociorum naviumque copia. Quibus fit ut ex hoc regno in omnes pene mundi partes navigationes maximo inſtitorum quæſtu inſtituantur; & maxima vis omnis generis mercium exterarum in hoc regnum importetur. Nam anno cIↃ IↃc XII (uti è publicanorum tabulis conſtat) merces exoticæ in regnum illatæ, 214151 libr. ſterling. fuerunt æſtimatæ: anno autem cIↃ IↃc XXI 2619315 lib.

Sexto ex auri argentique copia. nam licet utrumque parciſſime ibi naſcatur, tamen maxime hic eſt aureorum atque argenteorum nummorum abundantia: ſuperioribuſque annis obſervatum accepi à fide dignis, intra quinquenniũ monetæ regiæ cuſæ fuiſſe aurea quidem numiſmata ad pon-

do 6214, argentea autem 311384. Mirum autem, Hispaniam, cum tantum auri atque argenti quotannis ex America accipiat, fere æneis nummis abundare; Angliam vero jam sero tandem pauculis æneis nummulis uti cæpisse. Præterea in hoc regno non modo in nobilium sed & plebeiorum ædibus tanta est argenteę supellectilis frequentia, ut incredibile pene videatur: observatumque, quotannis supra viginti quinque millia librarum argenti in nova opera profundi.

Denique ex immensis multorum privatorum opibus; nam vix ullum aliud regnum opulentiores mercatores & institores numerat, qui hæredibus suis inusitatas opes relinquunt, non raro ad centum millia librarum sterlingensium & supra; alii opibus suis ad summas dignitates emergunt, & Baronum, Vicecomitum, atque adeo Comitum titulos & dignitates sibi acquirunt, uti exempla nupera satis demonstrarunt.

Potentia regni, uti ex opulentia, ita porro è sequentibus intelligi potest. Et quidem

Primo è situs opportunitate juxta ac firmitate; Quippe cum insulare sit regnum, difficili est accessu hostibus, & fa-

& facillime se in omnes partes adversus eosdem movet. Cui accedit, quod licet portus habeat, & multos & capaces, & per se accessu haud difficiles, tamen iidem providentia Principum jamdudum ita muniti sint, ut hostes facillime arceant & excludant. Insuper, quod mare ambiens reciprocis æstibus tumidum, ingentes licet hostium classes facile disjiciat, aut saltem diu hærere extra portus minime permittat.

Secundo ex indigenarum frequentia, quæ summa est; tum propter fæminarum fæcunditatem, tum cœli bonitatem & commeatuum abundantiam. Ex Nobilitatis quoque immenso numero, & præsertim equestris; quæ servitium militare Regi debet. Vnde fit ut brevi tempore hic magnæ copiæ cogi possint; (id luculento exemplo constitit anno CIↃ IↃ LXXXVIII, cum Classis Hispanica expectaretur; nam præter XX mill. bellatorum per littora australia disposita, duo justi exercitus conscripti; quorum unus mille equitibus & XXII mill. peditum constabat; alter XXXIV millibus peditum & II millibus Equitum;) & quotannis multa millia peditum veluti examina apum in omnes pene partes ubi bellum ingruit emittat; maxime tamen in

Belgium, & nuper in Daniam atque Sueciam.

Tertio ex gentis fortitudine & virtute militari; nam summus Anglis est mortis contemtus, ingens erga superiores obsequium, summa patientia, & magna corporum agilitas; unde usu & disciplina in optimos milites evadunt, præsertim ubi in exteris regionibus stipendia meruerunt; nam domi mollius educati, alibi ad inediam & labores indurandi sunt. non tamen æque idonei sunt ad equitatum, quam peditatum; hoc enim cæteras nationes facile superant, illo vero à quibusdam superantur.

Quarto è navium copia, quæ in hoc regno longe maxima est. nam & summa industria hic struuntur è materie quæ aut in Anglia ipsa nascitur, aut ex Hibernia vicina petitur; onerariæ magnæ juxta ac minores, celoces elegantissimæ, & omnis generis aliæ, quibus mare sulcatur.

Quinto ex bellicorum tormentorum immenso numero, quæ in ipso regno tam ex ære quam ferro funduntur: & quidem è ferro tanta copia & ea bonitate, ut magna vis Regis indulgentia ad exteras nationes evehatur.

Sexto ex eorum hominum copia qui navi-

navibus hisce industrie uti sciunt. nam superioribus quidem seculis Hispani & Lusitani navigandi peritia excelluerũt; sed ii hodie ab Anglis, multis modis superantur, sive artem nauticam spectes, sive fortitudinem in maritimis periculis superandis, sive dexteritatem in prœliando.

Denique ob summam & absolutam Principis in hosce omnes potestatem, & promtum horum omnium erga Principem obsequium. nam licet Rex in fortunas subditorum non plus possit, quam aut Regni consuetudine stabilitum est, aut parlamentaria sanctione ipsi permittitur: tamen in corpora eorum plus potest quam fere ullus princeps Christianus; quippe qui, cum res exigit, promiscue delectus instituat, & vel invitos ad stipendia facienda cogat.

VI.

DE RE MONETARIA, ET computandi ratione.

ANgliæ moneta pluribus seculis tantum aurea fuit, aut argentea; nam sub superioris primum Regis Iacobi I regno

ærei nonnulli cudi cæperunt, eique exiguo admodum numero.

Aurei autem atque argentei illi nummi, ex præstantissimo & absolutissimo auro atque argento conflantur; licet posteriori hoc seculo cusi nonnihil deteriores sint quam superiorum.

Aurei nummi varii sunt; & fere sequentes fuerunt :

Rosatus nobilis Edoardaus sive vetus simplex, pendens in auro Anglicos seu Anglos V, sive grana Hollandica CLX. Ejusque dimidia, & quarta pars. Item duplus, & duplum pendens.

Rosatus nobilis Henricicus, qui rosam in cimba non præfert, pendens IV Anglic. & XIV denar., grana Hollandica 142. Ejusque dimidia, & quarta pars, pendens secundum proportionem.

Angelotus vetus, pendens IV Anglicos, & X grana, sive grana Hollandica 138. Ejusque dimidia, & quarta pars.

Georgius Nobilis, pendens III Anglicos, sive grana Hollandica 96.

Coronatus Anglicus, pendens in auro nonnunquam II Angl. & XII grana, interdum tantum II Anglic. & VI grana.

Henricicus, (qui *Souverain* appellatur) pendens in auro IV Anglic. sive grana Hollandica 128. Et dimidia illius pars.

Ange-

Angelotus cum O, pendens III Anglic. & x grana; ſive grana Holland. 106.

Roſatus nobilis Iacobæus duplex, pendens in auro VIII Anglic. & XXVIII grana, ſeu gran. Holl. 284.

Iacobæus ſive *unio*, pendens VI Angl. & dimid., ſive grana Holland. 195. Et partes illius.

Alter nummus, Regis caput laurea coronatum præferens, pend. V Angl. & XXV grana.

Argentei nummi ſequentes:

Vſitatiſſimus argenteus nummus eſt *ſchillingus*, & variæ illius partes. Qui quidem integer pendet III Anglic. & XXVIII grana, ſeu grana Holland. 1241. Et dimidia ejus pars dimidium tanti. Et ita cæteræ partes. Tertia autem illius pars appellatur *Groat*: duodecima *penning*; penningus autem in varias quoque partes dividitur; cujus quarta pars *a farting* dicebatur; ſed minores partes penningi raro jam ex argento cuduntur præter dimidiam partem.

Habent & nummos argenteos, qui ſex ejuſmodi ſchillingos valent; aliosque qui omnes ad rationem ſchillingorum exiguntur.

In computandi vero ratione vulgo utuntur libris, ſchillingis & penningis.

libra

libra constat viginti schillingis; schillingus duodecim penningis; quos denarios appellabamus. Atque hæc est usitatissima apud omnes computandi ratio: licet & marcas norint, & aliis nominibus in pretiis rerum venalium exigendis utantur.

VII.
REGNI REDITVS QVIBVS rebus constet.

PRimo habet Rex Angliæ patrimonium regni, quod barbari vocant *domanium*. Quod quale quantumque sit, explicare non possum: Id constat ex annalibus Camdeni, Henricum VIII, licet tres liberos haberet, multa è regio domanio profuse elargitum esse. Elizabetham vero, paucissima è domanio donasse, nec quicquam aliud fere nisi ea cautione, ut masculis deficientibus ad coronam reverteretur. Rex quoque Iacobus plurima elargitus est; & tamen anno 1607 in comitiis parlamentariis ipse viva voce declaravit, se putare, nullum principem in orbe Christiano pulchriores possessiones coronæ annexas hodie habere. Ab Ioanne Botero obser-

observatum invenio, ex Ducatibus Lancastriæ & Cornubiæ, qui Coronæ conjuncti sunt, quotannis percipi LXXX aureorum millia.

Secundo; Quum Rex omnium pupillorum, quorum bona, aut vel minima pars bonorum, aliquo modo Coronæ obnoxia est, tutelam suscipiat, ad annum usque ætatis XXI; & durante pupillari ætate omnes reditus ipsorum percipiat, & quantum lubet in alimenta eorum expendat: & matrimoniorum eorumdem dominus sit, & ejusmodi pupillis conjuges attribuat; aut pretium pro conjugiis accipiat: Ex hoc fit ut ingens summa quotannis ex hac tutela in ærarium regis inferatur: quam alii 30, alii 60 millium librarum sterlingensium faciunt. Sed Rex plerumque bonam partem aliis elargitur; aut ab agnatis certo pretio redimi patitur: qui non raro X, imo & XX millia librarum Regi numerant, ut suos ab ea tutela eximant.

Tertio, ex releviis, ut vocant, id est, pretio quod in feudis recognoscendis solvitur: quorum feudorum tanta est multitudo, ut quidam equestrium numerum LX millia esse prodiderint.

Quarto, è portorio, quod Rex percipit ex omnibus mercibus quæ invehuntur

huntur & evehuntur; ſub nomine *Pondage*: Id, ne rem altius repetamus, Mariæ R. anno primo ita conceſſum erat, ut vigeſimam partem juſti preti mercium caperet; exceptis pannis, lanis, coriis, vino & aliquot aliis mercibus: itaque indicem edi curaverat, quo pretia plerarumque mercium continebantur, ſecundum quæ portorium hoc ſolveretur. Qui index & toto regni Eliſabethæ tempore obtinuit. Verum Rex Iacobus eodem tributo à Parlamento ipſi confirmato, cum animadverteret, multas merces vilius, multas carius æſtimatas, quaſdam etiam omnino prçteritas: omnes denuo æſtimari fecit, & indicem edi ſecundum quem deinceps portorium hoc ab indigenis atque advenis ſolveretur. id actum anno regni illius ſecundo.

Porro quia ſuperioribus ſeculis maxima redituum Coronæ pars è lanis quæ evehebantur collecta fuerat, & tributum illud ob lanificium ſive panniſicium in ipſo regno inſtitutum multum erat imminutum, & fere ad nihilum redactum: Maria Regina ut hanc jacturam reſarciret, pannis in regno textis, cum ex eodem evehuntur, certum vectigal impoſuit: quod ab Eliſabetha R. continuatum, Rex Iacobus quoque

quoque confirmavit. Solvunt autem indigenæ Angli pro singulis pannis, qui capiunt ulnas XXIV, sive albi sint, sive colore aliquo tincti, solidos VI, denar. VIII. peregrini vero atque advenæ solidos XIV, denar. VI. cætera autem pannorum genera certa proportione aut numero tantumdem solvunt. alii enim sex, alii quatuor, alii terni, alii denique bini pro uno panno, ut supra, sumuntur. Rex Iacobus anno regni sui sexto, portorium sive vectigal omnium mercium, nova impositione (ut vocant) auxit; excepta solum annona & iis quæ ad victum hominum pertinent; itemque apparatu omni bellico & ejusmodi rebus quæ ad fabricandas & instruendas naves sunt necessariæ; mercibus quoque exceptis quæ in Regnum importantur, eo consilio, ut rursus exportentur, aut ut inde panni linei aut serici texantur; denique auro, argento & gemmis. Sed cum impositio hæc mercatoribus gravior videretur; anno regni sui octavo merces omnes quæ è regno exportantur ab illa impositione absolvit; solum illo pannorum genere quos *bayes* vocant, plumbo, stanno exceptis. Earum vero mercium quæ importantur, impositionem aut minuit aut auxit.

Por-

Portorium porro omne quod ex omni genere mercium tam domesticarum quam peregrinarum ad superiorem modum exigitur in usum Principis; id jam certa pensitatione à Rege redimitur à publicanis tum Londini tum in cæteris portubus: quum sub longe maxima parte regni Elisabethæ, reginæ nomine colligeretur, & magna fraus vectigalibus tum fieret. Boterus hæc vectigalia centum millibus librarum æstimat; alii ducentis millibus, nisi quod fraudis hujus vitio, minora longe esse fatentur. Quo pretio sane nunc redimantur, mihi non satis constat: sed id è tabulis publicanorum testari possum; portorium sive vectigal omnium quidem mercium evectarum è regno anno 1612, ascendisse ad 93794 libr. sterling: importatarum vero ad 80657 lib. sterl. Eædem tabulæ faciunt fidem, anno 1621 vectigal mercium evectarum reddidisse publicanis 82162 libras; importatarum autem 91059 lib. sterling.

Atque hi fere sunt ordinarii Regni reditus. Quotiescunque autem Regi aut belli necessitas aut aliud quid incumbit; parlamentum indicere solent reges, & ejusdem authoritate auxilium ab omnibus subditis suis impetrare.

idque

idque duplex. Prius, subsidium vocant. est autem pensitatio quædam, quam omnes omnino subditi è bonis suis omnibus, ratione quadam æstimatis, (quæ quidem levissima est,) Regi aut certis momentis sive per partes, aut simul & semel solvunt: idque semel, bis, ter, quaterve, prout parlamentum decreverit. Pro singulis autem libris, quibus bona æstimata fuerint, solvunt laici, indigenæ quidem quorum bona mobilia valent tres libras annuatim, pro singulis libris II schillingos & VIII denarios: advenæ autem V schilling. & IV denar. Dein quibus bona sunt immobilia, indigenæ quidem pro singulis libris annui antiqui reditus IV schillingos, advenæ VIII. Clerici autem sive Ecclesiastici, ex annuis suis reditibus pro singulis libr. solvunt IV schillingos. Parlamentaria auctoritate hęc limitantur, temporibusque suis & momentis circumscribuntur, & variis clausulis muniuntur; quæ hic referre longum esset. Subsidium denique ejusmodi, magnam argenti summam ærario Regis solet adferre; sed quæ pro temporum ratione multum variet. Memini autem me in Anglia audivisse subsidia singula, quæ à laicis percipiuntur, sexaginta millia aut supra librarum sterlin-

gensium Regi adferre. Quantum Ecclesiastica subsidia addant, mihi non satis constat. Alterum auxilii extraordinarii genus, quod ab eisdem Comitiis parlamentariis Regi indulgetur, dena & quindena appellatur; harum quoque binæ ternæve, interdum & plures, successive solvendæ, Regi conceduntur. Est autem quindena hæc & decima (inquit *Camden.*) taxatio certa, olim imposita singulis civitatibus, burgis & oppidis, non viritim, sed generatim, pro ratione decimæ quintæ partis facultatum locorum. Dicitur autem decima (ut *Guilielmus Lambardus* docet) quia in oppidis decima facultatum solvebatur; quindena vero, quia in pagis & rure tantum decima quinta. Posterius hoc nomine maxime in usu est. Tempore Henrici sexti sex millia librarum communi remissa ratione quorumdam oppidorum & provinciarum, quarum opes imminutæ dicebantur: quæ exceptio hodieq; in actis apponitur. Quantum una quindena valeat, certo explicare non possum per omnes provincias. De Cantio accepimus, eam adscendere ad 1553 libras. item de Cornubia, 113 libras. de Huntingdonia, 371 libras. Solet quoque interdum Rex sine Parlamenti authoritate à locuple-

cupletioribus subsidium petere, quod *benevolentiam* vocant.

Sunt & alii tam ordinarii quam extraordinarii ærarii supplendi modi; de quibus nihil dicimus quia illorum ratio nondum satis nobis cognita est: Anglis hæc prolixius explicanda relinquo, & huic commentario addenda, si ita videbitur.

VIII.

FAMILIA REGIA.

HEnrici VII familia paterna: filius Edmundi Comitis Richemondiæ; nepos Ovveni filii Meredith Tydor, & Catharinæ viduæ Henrici V Regis Angliæ & filiæ Caroli sexti R. Francorum. Familia materna: filius Margaretæ, nepos Ioannis Ducis Somersettensis, pronepos Ioannis Gandavensis Ducis Lancastriæ, abnepos Eduardi III Regis Angliæ.

Elisabethæ familia paterna: filia Eduardi IV Regis Angliæ, neptis Richardi Ducis Eboracensis, proneptis Richardi Cantabrigiensis, abneptis Edmundi Ducis Eboracensis filii quintogeniti Eduardi III Angl. Regis. Fami-

lia materna: filia Elisabethæ, neptis Richardi VVoodvil Comitis Rivers & Iacobæ Ducissæ Bedfordiæ.

Henrico VII & Elisabethæ nati fuere:

1 Arthur, qui sine liberis obiit.

2 Henricus, qui post patrem regnavit.

3 Edmundus, qui puer obiit.

4 Margareta, nata anno 1489, nupta Iacobo IV Regi Scotiæ, anno 1503. cui peperit Iacobum V Scotiæ Regem, Arturum, & Alexandrum, & filiam. Eadem secundo nupsit Archibaldo Douglas Comiti Anguiæ, ann. 1514; illique peperit Margaretam; quæ nupsit Matthæo Lennoxiæ Comiti. Ex Margareta hac & Matthæo nati fuerunt Henricus, qui infans obiit; & Henricus Darlius, qui duxit in uxorem Mariam Reginam Scotiæ, & ex illa genuit Iacobum VI Scotiæ & Primum Angliæ Regem; & Carolus, Comes Lennoxiæ, pater Arbellæ.

5 Elisabeth, infans obiit.

6 Maria, primo uxor Ludovici Regis Franciæ, è quo nullos liberos suscepit; deinde Caroli Brandoni Ducis Suffolciæ; cui peperit Henricum, & Carolum, & Franciscam; quæ nupsit Henrico Greyo Dorcestriæ Marchioni,

ni, & illi peperit Ianam infelicem Reginam.

7 Catharina infans obiit.

Henricus VIII natus ann. 1491. qui primo duxit in uxorem Catharinam fratris Arthuri viduam. quæ illi peperit

Henricum, qui infans obiit.

Mariam, quæ postea regnavit.

Priore uxore repudiata duxit Annam Bullenam. quæ illi peperit

Elisabetham, quæ postea regnavit.

Secunda obtruncata duxit tertiam uxorem Ianam Seimeram. quæ illi peperit

Eduardum VI, qui post illum regnavit.

Eduardus VI, natus anno 1537, & denatus 1553, sine prole.

Maria, nupsit Philippo Hispaniarum Regi. nata anno 1518, denata anno 1558, nullis hæredibus.

Elisabetha, nata anno 1533, felicissime innupta regnavit annos 44. obiitque anno 1602, mense Martio.

Iacobus primus, ex parte patris, filius Henrici Darlei, nepos Matthæi Lennoxiæ Comitis, pronepos Archibaldi Douglassii & Margaretæ filiæ primogenitæ Henrici VII. Ex parte matris, filius Mariæ Reginæ Scotiæ, nepos Iacobi V Regis Scotiæ, pronepos Iacobi

quarti Scotorum Regis & Margaretæ filiæ primogenitæ Henrici VII.

		Henricus VII.		
		|		
Iacobus IV Scot. R.	—	Margareta fil. primogenita.	—	Archibaldus Douglassius.
|				|
Iacobus V.		Matthæus C.Lennox.	—	Margareta.
|		|		
Maria Scot.R.	—	Henricus Darley.		
	|			
	Iacobus VI Scotiæ, & I Angl. R.			

Iacobo I Magnæ Britanniæ R. uxor fuit Anna Frederici II Daniæ & Norvvegiæ Regis filia, quæ illi genuit

1 Henricum, qui in flore adolescentiæ obiit.

2 Carolum, qui hodie regnat.

3 Elisabetham, uxorem Principis Palatini, & jam Bohemiæ Regis, numerosa prole mascula felicem.

IX. SYL-

IX.

SYLLOGE DVCVM, MARchionum, Comitum, Vicecomitum, & Baronum, qui Comitiis Parlamentariis interfuerunt anno CIↃ IↃC XXVII, & quidem secundum ordinem quo consederunt.

Comites.

IAcobus Ley, Comes Marloborough, summus Thesaurarius Angliæ.

Henricus Montacutus, Comes Mancheſtriæ, privati Conſilii regii Præſes.

Georgius Villars, Dux Buckingamiæ, ſummus Angliæ Thalaſſiarcha.

VVilhelmus Pauletus, Marchio VVintoniæ.

Robertus Bertue, Comes Lindſeyæ, ſummus Angliæ Camerarius.

Thomas Hovvardus, Comes Arundellæ & Surreyæ, ſummus Angliæ Mareſcallus.

VVilhelmus Herbertus, Comes Penbrochiæ, ſummus familiæ regiæ Oeconomus.

Philippus Herbertus, Comes Montgomerii, Camerarius familiæ regiæ.

Robertus Verius, Comes Oxonienſis.

Henricus Percius, Comes Northumbriæ.

Georgius Talbotus, Comes Salopiæ.

Henricus Grayus, Cantii Comes.

VVilhelmus Stanleius, Comes Darbiæ.

Henricus Somerſettenſis, Comes VVigorniæ.

Franciſcus Mannarius, Comes Rutlandiæ.

Franciſcus Cliffordus, Comes Cumbriæ.

Robertus Ratcliffus, Suſſexiæ Comes.

Henricus Haſtingius, Huntingdoniæ Comes.

Eduardus Borcherius, Bathoniæ Comes.

Thomas VVrithiouſleyus, Comes Southamtoniæ.

Franciſcus Ruſſellus, Bedfordiæ Comes.

VVilhelmus Seimerus, Hertfordiæ Comes.

Robertus Devoreux, EſſexiæComes.

Theophilus Clinthonus, Lincolniæ Comes.

Carolus Hovvardus, Suffolciæ Comes.

Eduar-

Eduardus Sacvillus, Dorcettiæ Comes.
VVilhelmus Cecilius, Sarisburii Comes.
VVilhelmus Cecilius, Exonienſis Comes.
Robertus Carr, Somerſetti Comes.
Ioannes Egertonus, Comes Bridgvvater.
Robertus Sidneius, Leiceſtriæ Comes.
VVilhelmus Comptonus, Northantoniæ Comes.
Robertus Rich, VVarvvici Comes.
VVilhelmus Cavendish, Devoniæ Comes.
Iacobus Hambledon, Cantabrigiæ Comes.
Iacobus Steovvartus, Comes Marchiæ.
Iacobus Hayus, Carleoli Comes.
VVilhelmus Fieldingh, Comes Denbighiæ.
Ioannes Digbeyus, Briſtolii Comes.
Leonellus Cranfieldus, Middelſexiæ Comes.
Chriſtophorus Villars, Angleſeyæ Comes.
Henricus Rich, Comes Holandiæ.
Ioannes Hollis, Claræ Comes.

Oliverius S. Iohannis, Comes Bulingbrouck.

Franciscus Fanius, VVestmorlandiæ Comes.

VVilhelmus Cnoollius, Comes Banbury.

Thomas Hovvardus, Comes Berkeriæ.

Thomas VVentvvorthus, Cleauelandiæ Comes.

Edmundus Sheffeldius, Moulgravii Comes.

Henricus Danvers, Danbii Comes.

Georgius Carue, Tornesii Comes.

Robertus Caryus, Monumuthensis Comes.

Eduardus Denneyus, Nordovici Comes.

Emanuel Scroopius, Sunderlandiæ Comes.

VVilhelmus Cavendishius, NoviCastelli Comes.

Henricus Caryus, Doveriæ Comes.

Iohannes Mordantius, Petroburgi Comes.

Vicecomites.

Antonius Maria Brovvne, Vicecomes Montagu.

Iohannes Villars, Vicecomes Purbeck.

Richardus Burck, Vicecomes Tunbridge.

VVilhelmus Fynes, Vicecomes Say & Seale.

Eduardus Cecilius, Vicecomes VVimbleton.

Thomas Savagius, Vicecomes Savage.

Eduardus Convvay, Vicecomes Convvay, principalis Secretarius.

Robertus Perpoyntius, Vicecomes Nevvarke.

Paulus Banning, Vicecomes Banning de Sudbury.

Barones.

Henricus Cliffordus, Baro Clifford.

Henricus Nevillus, Baro Aburgaveney.

Maruinus Touchetus, Baro Audley.

Algernon Peccius, Baro Pecciæ.

Iacobus Stanleius, Baro Strange de Knocking.

Henricus VVeſt, Baro Delavvare.

Georgius Berckley, Baro Berckley.

Henricus Parkerus, Baro Morley & Monteagle.

Richardus Lennard, Baro Dacres de Herſt.

N. Stafford, Baro Stafford.

Eduardus Sutton, Baro Dudley.

Eduar-

Eduardus Stourton, Baro Stourton

Iohannes Darceius, Baro Darcei & Mentuel.

N. Sandes, Baro Sandes.

Eduardus Vaux, Baro Vaux.

Thomas VVindsor, Baro VVindsor

Iohannes Pauletus, Baro S. Ioannis de Basing.

Thomas Cromvvellus, Baro Cromvvell.

VVilhelmus Eure, Baro Eure.

Philippus VVharton, Baro VVharton.

VVilhelmus VVilloughby, Baro VVillougby de Parrham.

VVilhelmus Paget, Baro Paget.

Dudleius North, Baro North.

N. Brigges, Baro Chandois.

Spencerus Compton, Baro Comptõ.

Eduardus VVottonus, Baro VVotton.

Henricus Grayus, Baro Gray de Groby.

VVilhelmus Peter, Baro Peter.

N. Gerrard, Baro Gerrard.

VVilhelmus Spencer, Baro Spencer.

Carolus Stanhop, Baro Stanhop de Haringdon.

Thomas Arundel, Baro Arundel de VVardor.

N. Dormar, Baro Dormar de VVinge.

N. Ro-

N. Roper, Baro Tenham.

Philippus Stanhop, Baro Stanhop de Shelford.

Eduardus Noell, Baro Noell.

Eduardus Montague, Baro Kimboltoni.

Fulco Grevillus, Baro Brooke de Buchamcourt.

Eduardus Montague, Baro Montague de Boughton.

VVilhelmus Grayus, Baro Gray de VVearke.

Franciſcus Leake, Baro Deincourt.

Henricus Ley, Baro Ley.

Richardus Robares, Baro Robares de Truro.

Horatius Verius, Baro Vere de Tilbury.

Oliverius S. Ioannis, Baro Tregoze.

Dudleius Carleton, Baro Carlton Imbercourt.

Nicolaus Tufton, Baro Tufton.

VVilhelmus Crauon, Baro Crauon de Hamſted Marshal.

Montioyus Blunt, Baro Montioy.

Thomas Gelaſſes, Baro Faulconbridge de Yarum.

Richardus Lovelace, Baro Lovelace de Hurley.

Ioannes Pauletus, Baro Paulet de Hinton S. Georgii.

VVilhelmus Harvie, Baro Harvie Kidbroote.
Thomas Brudnel, Baro Brudnel Stouton.
VVilhelmus Maynard, Baro Maynar

X.
SERIES REGVM ANGLIA
Ex Henrico Sauillo, & Ioanne Speedo.

Postquam Anglo-Saxones nobilissimam Britanniæ parten invaserant, totam Angliam ut postea dici cœpit, except VVallia, in septem regna diviserunt; ir quibus multis annis separatim à varii regnatum fuit, donec tandem omnia regna ad unum devenerunt.

Cantii regnum complectebatur Cantium; in quo sequentes regnarunt:

	an. à C.N.	an.reg.
Hengistus,	455.	ann. 31.
Eska Hengisti fil.	488.	ann. 24.
Octa Eskæ fil.	512.	ann. 20.
Ymericus Eskæ fil.	532.	ann. 29.
Ethelbertus Ymerici fil.	561.	ann. 56.

Hic Christianam religionem amplectitur.

Eabaldus Ethelberti fil.	617.	ann. 24.
Ercombertus Eabaldi fil.	641.	ann. 24.

Egber-

Egbertus Ercomberti fil.	665.	ann. 9.
Lotherus Egberti frater.	673.	ann. 11.
Edricus Egberti fil.	686.	ann. 6.
VVithredus Edrici frat.	693.	ann. 33.
Edbertus VVithredi fil.	726.	ann. 23.
Edelbertus VVithredi fil.	749.	ann. 11.
Alricus VVithredi fil.	760.	ann. 34.
Ethelbertus Vſurpator,	794.	ann. 3.
Cuthredus Vſurpator,	797.	ann. 8.
Baldredus Vſurpator,	805.	ann. 18.

Regnatum in Cantio annis 372.

Auſtralium Saxonum regnum complectebatur Suſſexiam & Surreyam: in quo ſequentes regnarunt:

	an. à C.N.	an. reg.
Ella,	488.	ann. 32.
Ciſſa Ellæ fil.	514.	ann. 75.
Ethelvvolfus Chriſtianus,	595.	ann. 25.

Occidentalium Saxonum regnum complectebatur Cornubiam, Devoniam, Dorſettiam, Somerſettiam, VViltoniam, Hantoniam, Berkeriam; in quo regnarunt

	an. à C.N.	an. reg.
Cherdicus,	519.	ann. 33.
Kenricus Cherdici fil.	534.	ann. 26.
Cheaulinus Kenrici fil.	561.	ann. 33.
Cearlicus Cuthvvolfi fil.	592.	ann. 5.
Chelvvolfus Kenrici nep.	598.	ann. 14.
Kingil Chriſtianus,	612.	ann. 31.
Kenvvaldus Kingilis fil.	643.	ann. 31.

Eskvvi-

Eskvvinus, 675. ann. 2.
KenvvinusKenvvaldi frat. 677. ann. 9.
CeadvvallaKenrici abnep. 686. ann. 2.
Ina Kenrici pronepos, 688 ann. 37.
Ethelardus, 726. ann. 14.
Cuthredus Ethelardi frat. 740. ann. 14.
Sigebertus, obscuræ famæ, 754. annum unum & dimidium.
Kenvvulfus, 755. ann. 29.
Brithricus, 784. ann. 16.
Egbertus, 802. ann. 19.

Hic postquam annos 19 in Occidentali Saxonia regnasset, primus factus est Anglorum monarcha absolutus.

Orientalium Saxonum Regnum complectebatur Essexiam & Middelsexiam; in illo regnarunt

an. à C. N. *an. reg.*

Erchenvvinus, 527. ann.
Sledda, 587. ann. 9.
Sebert. Sleddę fil. Christian. 596. ann. 13.
Sexred. Sevvard. Sigebert. 616. ann. 6.
Sigebertus parvus, 623. ann. 13.
Sigebertus bonus, 646. ann. 16.
Svvitelmus Sigeberti frat. 661. ann. 3.
Sigerus & Sebba fratres, 664. ann. 30.
Sigehard. & Senfrid. frat. 694. ann. 7.
Offa Sigeri fil. 701. ann. 8.
Selredus Sigeberti boni fil. 709. ann. 38.
Svvithredus, 747. ann.

Northumbrorum Regnum complecteba-

ctebatur Eboracenſem provinciam, Dunelmenſem, Lancaſtrenſem, VVeſtmorlandiam, Cumbriam & Northumbriam: in illo regnarunt

	an. à C.N.	*an. reg.*
Ida,	547.	ann. 12.
Ella, vel Alla,	559.	ann. 30.
Edelricus Idæ fil.	589.	ann. 4.
Athelfridus Edelrici fil.	593.	ann. 24.
Edvvinus Ellæ fil. Chriſtian.	617.	ann. 17.
Oſvvaldus Ethelfridi fil.	634.	ann. 9.
Oſvvius nothus,	643.	ann. 28.
Egfridus Osvvii fil.	671.	ann. 15.
Alfridus Osvvii nothus,	686.	ann. 19.
Oſredus Alfridi fil.	705.	ann. 11.
Kenredus,	716.	ann. 2.
Oſricus,	718.	ann. 11.
Ceolulfus Kenredi frat.	729.	ann. 8.
Egbertus Kenredi cognat.	718.	ann. 20.
Oſulfus Egb. fil.	758.	ann. 1.
Ethelvvaldus ſeu Mollo,	759.	ann. 6.
Alredus Invaſor,	765.	ann. 9.
Ethelredus Mollon. fil.	774.	ann. 4.
Alfvvoldus Alredi frat.	778.	ann. 11.
Oſredus Alredi fil.	789.	ann. 1.
Ethelredus iterum,	790.	ann. 4.

Ethelredo interfecto finem accepit regnum Northumbrorum, quod poſt interregnum 33 annor. occupavit Egbertus VVeſt-Saxo, ann. 827. nominantur tamen quidam Reguli Nort-

humbrorum Danicis temporibus.

Merciæ regnum complectebatur Huntingdoniam, Rutlandiam, Lincolniam, Northamtoniam, Liceftriam, Darbiam, Nottingamiam, Oxonium, Ceftriam, Salopiam, Gloceftriam, VVorceftriam, Staffordiam, VVarvvicum, Buckingamiam, Bedfordiam, Hartfordiam: in eo regnarunt

	an. à C. N.	an. reg.
Crida,	582.	ann. 10.
VVibba Cridæ fil.	593.	ann. 20.
Ceorl, nepos VVibb.	614.	ann. 10.
Penda VVib. fil.	626.	ann. 30.
Peada Pendæ fil. Chriftian.	656.	ann. 13.
VVulfherus Peadæ frat.	659.	ann. 16.
Athelredus Pend. fil.	675.	ann. 29.
Kenredus VVulfh. fil.	704.	ann. 4.
Ceolredus Ethelredi fil.	708.	ann. 8.
Ethelbaldus,	716.	ann. 41.
Offa,	758.	ann. 38.
Egfridus Offæ fil.	796.	annum dimidium.
Kenulphus cognatus,	797.	ann. 22.
Kenelmus Kenulphi fil.	819.	menf. 5.
Ceolulfus Kenulphi frat.	820.	ann. 1.
Bernulfus Invafor,	822.	ann. 3.
Ludecanus electus,	824.	ann. 2.
VVitlafus,	826.	ann. 13.
Bertvvulfus,	839.	ann. 13.
Burkredus,	852.	ann. 22.

Tres posteriores VVest-Saxones tributarii fere fuerunt.

Orientalium Anglorum regnum cõplectebatur Suffoxiam, Norfoxiam, Cantabrigiam, & Eliensem provincias; in illo regnarunt

	an. à C.N.	an.reg.
Vffa,	575.	ann. 7.
Tityllus Vffæ fil.	583.	ann. 10.
Reddvvaldus Titylli fil.	593.	ann. 31.
EorpvvaldusRedvvaldi fil.	624.	ann. 12.
Sigebertus,	636.	ann. 3.
Egricus,	638.	ann. 4.
Anna Eorpvvaldi nep.	624.	ann. 13.
Æthelherus Annæ frat.	654.	ann. 2.
Edelvvaldus Æthelheri fr.	656.	ann. 9.
Aldulfus Æthelheri fil.	664.	ann. 19.
Elvvoldus Æthelheri fil.	683.	ann. 7.
Beorna Æthelheri fil.	690.	ann. 24.
Ethelredus,	714.	ann. 35.
Ethelbrigtus Ethelr. fil.	749.	ann. 45.

Hoc occiso ab Offa regnum Orientalium Anglorum unitum est regno Merciorum : vel, ut alii, maxima sui parte possessum à Danis: donec cum cæteris ad Egbertum VVest-Saxoniç R. devolveretur.

Licet autem in superiorem modum septem regna distincta in Anglia fuerint, tamen inde à primo Anglorum & Saxonum ingressu, fere semper unus

aliquis Regum inter cæteros dignitat
& auctoritate eminuit, ita ut parun
à monarchæ conditione abesset. Ii à
Speedo recensentur hoc ordine.
Hengistus, Cantii Rex.
Ella, Australium Saxonum R.
Cherdicus, VVest-Saxonum R.
Kenricus, VVest Sax. R.
Ceolinus, VVest Sax. R.
Ethelbertus, Cantii R.
Redvvaldus, Orientalium Angl. R.
Edvvinus, Northumbrorum R.
Osvvaldus, Northumbrorum R.
Osvvyus, eorumdem R.
Vlferus, Merciorum R.
Ethelredus, Merciorum R.
Kenredus, Merciorum R.
Chelredus, eorumdem R.
Ethelbaldus, eorumdem R.
Offa, eorumdem R.
Egfridus, eorumdem R.
Kenvvolfus, eorumdem R.

Post hos imperium absolute ad unum pervenit, cæteris regulis superatis. Eorum autem qui toti Angliæ ex Anglo Saxonum sanguine præfuerunt, series ita se habet.

	an. à C.N.	an. reg.
Egbertus,	800.	ann. 37.
Ethelvvulfus Egberti fil.	837.	ann. 20.
Ethelbaldus Ethelvvulfi fil.	857.	ann. 5.

Ethel-

Ethelbertus Ethelvvulfi fil. 862.ann. 5.
Ethelredus Ethelvvulfi fil. 867.ann. 5.
Alfredus Ethelvvulfi fil. 872.ann.29.
Eduard. senior, Alfr. fil. 901. ann.23.
Ethelstanus Eduard. fil. 924.ann.16.
Edmundus Eduardi fil. 940.ann. 6.
Edredus Eduardi fil. 946. ann. 9.
Edvvius Edmundi fil. 955. ann. 4.
Eadgarus Edvvii frater, 959. ann. 16.
Eduardus martyr, Edg.fil. 975. ann. 4.
Ethelredus Edgari fil. 979. ann.37.
Edmundus ferreum latus, 1016. ann. 1.

Post huncDani in Anglia regnarunt:
an. à C. N. *an.reg.*
Canutus, 1017. ann. 19.
Heraldus Canuti fil. 1036. ann. 4.
Hardicnutus Canuti fil. 1040. ann. 2.

Et rursus ex Anglo-Saxonum genere
Eduardus Confessor, 1042. ann. 24.
Haroldus vix anno uno.

Sequuntur jam Reges è Normannica stirpe.

VVilhelmus I, Conquestor, antea Dux Normanniæ, regnum in Anglia auspicatus fuit anno à C. N. 1066. & tenuit annis 20, mens. 10, dieb. 26. obiit anno 1087, mense Septemb.

VVilhelmus II, dictus Rufus, tertiogenitus VVilhelmi Conquestoris, regnum auspicatus est ann. à C. N. 1087. & tenuit annis 12, mensib. 10,

diebus 22.& fortuito ictus à suis discessit ann. 1100.

Henricus I, VVilhelmi Conquestoris filius postremogenitus, regnum adiit anno à C. N. 1100; tenuitque annis 35, mens. 3. obiit anno 1135. Hic duxit in uxorem Mathildem filiam Regis Scotiæ & Margaretæ sororis Edgari Atheling è regio sanguine Anglo-Saxonum. Et Ducatum Normanniæ, superato & excæcato fratre Roberto, Coronæ Angliæ adjunxit. VVallos quoque subjugavit.

Stephanus, ex Adelicia filia Guillielmi Conquestoris, Henrici cognatus, regnum invasit, exclusa Mathilde Henrici I filia & Imperatoris vidua, anno à C. N. 1135; & tenuit annis 18, mens. 9, dieb. 17. obiit anno 1154.

Henricus II, filius Mathildis Imperatricis, & Henrici I nepos, regnum adiit ann. à C. N. 1154; tenuitque annis 34, mens. 8, dieb. 12. obiitque anno 1189. Hic possedit præterea Normanniam, Aquitaniam, Andegavensem, Cænomanensem & Turonensem provincias in Gallia; duxerat quippe in uxorem Helionoram ducis Aquitaniæ hæredem unicam. Idem & Hiberniam domuit.

Richardus I, dictus Cor Leonis, Hen-

Henrici II filius tertiogenitus, regnum adiit anno à C.N. 1189, tenuitque ann. 9, menſ. 9. obiit anno 1199, ſagitta ictus in obſidione caſtelli in Lemovicibus.

Iohannes, filius Henrici II ſextogenitus, & ab illo Dominus Hiberniæ conſtitutus, regnum Angliæ & cætera dominia in Gallia adiit anno à C. N. 1199; tenuitque annis 17, menſ. 7. obiitque anno 1216, intoxicatus à monacho, uti creditur.

Henricus III, Ioannis filius decennis, regnum adiit anno à C. N. 1216; tenuitque annis 56, menſ. 0, dieb. 27. obiitque anno 1272. Princeps toto vitæ tempore inteſtinis bellis & magnatum ſuorum factionibus & rebellionibus exercitus.

Eduardus I, Henrici III filius, regnum adiit anno à C. N. 1272; tenuitque annis 35, menſib. 7, dieb. 21. obiitque anno 1308. Hic primum VValliam perdomuit, cæſo Leolino Principe. Iudæos ex Anglia emiſit. Scotiam graviter afflixit, & obtinuit quandiu vixit.

Eduardus II, Eduardi I filius, regnum adiit anno à C.N. 1308; tenuitque annis 19, menſ. 6, dieb. 15. anno 1327 à ſuis deſtitutus, & in carcerem conditus, filio ſuo regnũ reſignavit; & paulo

post insigni parricidio fuit interemptus. Princeps mollis, & degener à virtutibus paternis; quare & Scotia excidit, ingenti prælio à Scotis victus.

Eduardus III, Eduardi II filius, regnum adiit, anno à C. N. 1327; tenuitque annis 50, mens. 4, dieb. 15. obiitque anno 1377. Hic ingenti clade afflixit Scotos: Galliæ Regnum, ut jure hereditario sibi debitum, armis invasit, & Gallos ingentibus cladibus terra marique afflixit; cepit Caletum, unoque tempore captivos habuit Reges Franciæ & Scotiæ. Princeps omnibus numeris absolutus.

Richardus II, Eduardi III è filio primogenito Eduardo nepos, undecim annorum puer regnum adiit ann. 1377; tenuitque annis 22, mensib. 2. regnoque se abdicare coactus, anno 1399 misere periit, fame, uti quidam tradunt, enectus.

Henricus IV, Eduardi III è filio Ioanne Lancastriç duce nepos, regnum adiit ann. 1399; tenuitque annis 13, mens. 5, dieb. 21. obiitque anno 1412.

Henricus V, Henrici IV filius, regnum adiit anno 1413, tenuitque annis 9, mens. 4, dieb. 11. obiitque anno 1422. Hic ingenti clade percussit Gallos; Rotomagum & plura Normanniæ oppida

oppida recepit, postquam jam 215 annis in potestate hostium fuerant. Dein ducta in uxorem Catharina Caroli VI. Franciæ R. filia, & Delphino à parente exhæredato, Coronæ Franciæ successor est declaratus; sed obiit antequam illius plene compos fieret.

Henricus VI, Henrici V filius, patri successit anno à C. N. 1422, octo mensium puer; tenuitq; varia fortuna annis 38, mens. 6. Nam puer publico præconio Francorum Rex denunciatus, & totius pene Galliæ compos, annoque 1431 Parisiis in Regem Franciæ fuit inunctus. Sed Burgundo ab ipso deficiente, & Bedfordiæ Duce ipsius patruo decedente, res in Gallia sensim pessum ivere: domi autem res turbatæ à Richardo Duce Eboracensi: anno 1449 Normannia; sequentibus Aquitania amissa: In Anglia misera rerum facies, nobilissimo quoq; vario fato extincto, & popularium seditione ægre composita: Eboracensis graviores turbas orditur; Dux Sommersettensis cæsus, ipse Rex captus & ad varia atque indigna coactus; tandem Eboracensis aperte regnum affectat; sed illo in prælio occiso anno 1460, filius illius Eduardus, redintegrato bello, Regem in boreales partes Angliæ concedere coëgit anno

1461. In quo anno Henrici VI regnum desiisse creditur. nam eodem anno parlamentaria authoritate regno fuit abdicatus: &, cum anno 1463 clam in Angliam venisset, captus & in turrem Londinensem conclusus; sed Duce Clarencio & VVarvvicensi ab Eduardo deficientibus Henricus postliminio fuit restitutus 1470, postquam pene decennium in carcere fuisset detétus. Eduardus profugit ex Anglia, & paulo post reversus aliquot præliis Henricū superat, & rursus turri Londinensi includit; ubi à Richardo Gibboso misere fuit occisus.

Eduardus IV, Richardi Eboracensis filius, regnum adiit anno à C.N. 1460; tenuitque varia fortuna annis 22, mensib. 1. obiitque anno 1483.

Eduardus V, Eduardi IV filius, duodecim annorum puer, regnum adiit 1483: sed vix mensibus duobus & paucis diebus tenuit, ab avunculo Richardo insigni parricidio obtruncatus.

Richardus III, Richardi Ducis Eboracensis filius, regnum accepit anno à C.N. 1483; tenuitque annis 2, mense uno; in prælio occisus anno 1485.

Henricus VII, regnum Angliæ adiit anno à C.N. 1485; ductaque in uxorem Elisabetha, Eduardi IV filia, dissidia inter Lancastrensem & Eboracensem fami-

familiam composuit; & feliciter regnavit annis 23, mens. 7. Princeps felix & numeris omnibus absolutus.

Digressio de dissidiis inter Lancastrensem & Eboracensem familias, ex Wilhelmo Lambardo.

EDuardo tertio inter alios liberos quinque fuerunt filii: primogenitus, Eduardus, vulgo Niger princeps dictus; VVilhelmus, qui puer obiit; Leonellus Dux Clarenciæ; Ioannes Dux Lancastriæ, vulgo Gandavensis dictus; & Edmundus, primo Comes Cantabrigiensis, & mox Dux Eboracensis. Eduardus obiit ante parentem, relicto filio Richardo; qui avo successit. Hujus regimen à consanguineis & aliis magnatibus, ipsius culpa an ipsorum ambitione, cum magnopere improbaretur, undecimo anno regni parlamētum vocare, & quosdam suorum exilio, alios morte punire coactus fuit, tanquam illius seductores. Ipse vindictam anhelans, primo patruum suum Thomam, sextogenitum Eduardi III, & Glocestrensem Ducem, capite plectit; & post illum Comitem Arundeliæ: Archiepiscopum vero Cantuariensem, Comitem VVarvvicensem & alios exilio mulctat: Henricum vero, Ducem Here-

Herefordensem, Ioannis Gandavensis filium, certis limitibus circumscripsit, & Lancastriæ Ducatu spoliavit Quibus actionibus magnatum suorum animos plane à se alienavit; nec minus popularium mentes à se avertit. Vnde Henricus ex Hibernia reversus, armis non modo Ducatum suum Lancastrensem recuperavit, sed & Richardum captum in carcerem conclusit; in quo misere periit, nullo hærede relicto. Ita Henricus, IV ejus nominis, regni compos est factus. Post quem filius & nepos, Henricus V & VI, successive regnarunt; Lancastrenses dicti, quia à Ioanne Gandavensi descendebant. his insigne erat rosa rubens. Horum æmuli Eboracenses, quibus rosa candida pro insigni erat, de regni jure contendere cœperunt; jurene an injuria, sequens stemma faciat fidem.

Leonellus, tertiogenitus Eduardi III, & Clarentiæ Dux, genuit Philippam hæredem; quæ nupsit Edmundo de mortuo mari, Comiti limitis VVallici; qui & Richardo vivente hæres apparens Coronæ Angliæ fuit declaratus. Ex his natus Rogerus de mortuo mari; ex illo Edmundus, Rogerus, Anna & Elionora. Anna (nam cęteri improles decessere) enupsit Richardo Comiti Cantabrigiæ,

tabrigiæ, filio Edmundi, & ex illo Eduardi III nepoti. ex his natus Richardus Plantageneta Dux Eboraci; qui præter undecim alios liberos genuit Eduardum IV Angliæ regem. Ex quo apparet, post Richardi II obitum non debuisse quemquam è domo Lancastria succedere, Leonelli stirpe superstite. Quod Henricus IV cum non ignoraret, jus suum altius repetendum existimavit, nimirum ab Henrico III. Huic quippe duo filii fuerant, Eduardus & Edmundus. Quorum ille sub nomine Eduardi I. regnavit. Edmundus erat Dux Lancastriæ & gibbosus. Licet autem inter utriusque ætatem multum interesset; postea credi voluerunt qui jam hanc telam ordiebantur, Edmundum fuisse primogenitum, & ob corporis deformitatem posthabitum. Itaque cum Henricus Ducatum Lancastriæ à matre Blanca filia & hærede Henrici Ducis Lancastriæ accepisset; eadem ratione & sibi ius potius ad Coronam acquisisse volebat videri, & superiores reges injuria regnasse.

Henricum, licet jam Regni compotem, variæ difficultates exceperunt. nam statim post Richardi exauthorationem & captivitatem, frater Richardi Dux Exoniæ, cum Duce Albæ Marliæ,

liæ, & Comitibus Cantii, Sarisburii, & Gloceſtriæ, aliiſque, Henricum VVindeſoræ pene oppreſſerunt: Sed palam facti, ſuppliciis affecti fuerunt, & Richardus ipſe paulo poſt ſubmotus. Paulo tamen poſt (anno 1400) monachi vanis rumoribus, & Ovvenus Glendorus armis in VVallia, Richardum ſuperſtitem perſuadere conati ſunt. Et anno 1401 Comes VVorceſtriæ, Archiepiſcopuſque Eboracenſis, & Thomas Mombrayus, Comes Mareſcallus, illum armis fatigarunt, anno 1405. alii quoque poſtea. ita uti irrequietum regnum maxima vitæ parte obtinuerit. Hunc excepit filius Henricus V, princeps bellicis artibus clarus, ſed & domeſticis inſidiis impetitus, à Richardo Cantabrigienſi, marito Annæ, de qua ſupra; qui ſcelus conceptum capite luit. Henricum quintum excepit ſextus; nullis primo ſeditionibus obnoxius, donec res in Francia nutare cœperunt, & ipſe nuptias contra jus & magnatibus ſuis invitis iniviſſet cum Regis Siciliæ filia, & Patruum ſuum Hunfredum Gloceſtriæ Ducem neci dediſſet, totuſque eſſet in uxoris poteſtate. tunc enim Richardus Eboraci Dux occaſionem oblatam amplectens, clam regno illius inſidiari cœpit; uſus opera Iacobi

Cade,

Cade, qui se de mortuo mari ferebat: sed cum hac via parum profecisset, impetum in Ducem Somersettensem, quem maxime sibi obstare rebatur, convertit, assumto Comite Devoniæ & aliis. verum cum Rex Somersettensem tueretur, res ad prælium tandem devenit, in quo Somersettensis cæsus & Rex Henricus fuit captus; id accidit anno 1456. Richardus Regis potens, Parlamentaria authoritate se protectorem Regni decerni haud difficulter impetravit; Richardum autem Nevillum Comitem Sarisburiensem, Regni Cancellarium; & filium illius Richardum itidem Nevillum, Comitem VVarvvicensem. Margareta Regis conjux cum & Ducem Eboracensem & Comitem VVarvvicensem simul opprimere frustra conata fuisset, flammam hanc civilem magis accendit: ita ut non jam uter regnaret, sed uter viveret, inter ipsos disceptaretur. infestis armis concursum, & Rex secundo captus, Parlamentariaque authoritate Richardus proximus hæres regni declaratus fuit: verum cum hic non multo post in prælio contra Reginæ copias inito occubuisset; Rex rursus fuit liberatus. Actum jam de Eboracensibus videbatur, quum Eduardus Richardi fi-

di filius, Comitibus Pembrochiæ & VViltoniæ cæsis, Londinum victo adiit, & Regis titulum ultro fuit adeptus; Henricus vero in Scotiam profugus, cum clam in Angliam rediisset tertio capitur. Eduardus jam securus Comitem VVarvvicensem in Galliam mittit, ut sibi Bonam in uxorem peteret; dum ipse interim Grayam in Anglia ducit. quæ res VVarvvicensem summopere offendit; qui, licet aliud simularet, nihil non post illa movit ut Henricum restitueret. quod ut tutius aggrederetur, filiam suam Georgio Duci Clarenciæ Regis fratri conjunxit: & septentrionalioribus Anglis clam concitatis, aliquot præliis certatum, & tandem Rex ipse fuit interceptus; sed cum rursus evasisset, fratrem & VVarvvicensem tandem regno profugere & in Galliam concedere coëgit. In Gallia, Francorum rege sufflaminante, nova consilia in Regis perniciem capta: Eduardus Henrici filius cum VVarvvicensis filia conjunctus: Clarencius, VVarvvicensis, Oxoniensis, & Penbrociensis, cum copiis in Angliam redierunt: Eduardus R. à suis desertus Flandriam petiit. Henricus libertati restitutus regnum denuo auspicatur; verum Eduardus paulo post reversus, (licet

(licet primo, regni ſpe abjecta, tantùm Ducatum Eboracenſem affectare videretur,) capto non ſine perjurio Eboraco, & fratre Clarencio ſibi reconciliato, Marchioneque Montis acuti decepto, recta Londinum petiit, & Henricum inopinantem oppreſſit, & quarto jam carceri mancipavit. VVarvvicenſem auxilio advenientem proſtravit. Reginæ quoque copias cecidit, & comites illius cepit: & jam ſævitiæ deditus Henrici filium in ſuo conſpectu necare eſt paſſus; Henricum ipſum paulo poſt in turri Londinenſi: Regina vitam pretio redemit. Penbrocienſis cum nepote ſuo Henrico, qui poſtea regnavit, in Galliam fugit. Eduardus undecimo anno póſt in flore ætatis extinguitur; duobus filiis relictis, Eduardo & Richardo. Quorum ille regnum obtinuit, licet nunquam fuerit coronatus; nam Richardus patruus utrumque ſuſtulit, & ſemet coronari fecit: Verum regnum paricidio partum non dudum retinuit, ab Henrico, Comite Richemondiæ, regno pariter & vita privatus.

Henricus VIII, Henrici VII filius, regnum adiit anno à C. N. 1509; tenuitque annis 37, menſib. 7. obiitque anno 1546.

Eduardus VI, Henrici VIII filius, regnare cœpit anno à C. N. 1546; regnavitque annis 6, menſ. 5. obiitque anno 1553, ſeptemdecim annos natus.

Maria Henrici VIII filia, regnum adiit anno à C. N. 1553; tenuitque annis 5, menſib. 4. obiit anno 1558.

Eliſabetha, altera Henrici VIII filia regnum adiit anno 1558; tenuitque feliciſſime annis 44, menſib. 4. obiit anno 1602.

Iacobus, Scotiæ VI, Angliæ vero I Regnum adeptus eſt anno à C. N 1602; tenuitque annis 23. obiitque anno 1625.

Carolus, Iacobi filius, hodie regnat

XI.

NOBILIORVM FAMILIArum Sylloge, ex Camdeno, & aliis.

A.

ALington: Equeſtris familia quæ inde à temporibus Henrici VI enituit, connubio juncta cum Argentonia hærede quæ in hanc familiam intulit prædium VVimondley in Comitatu Hertfordienſi; quod honoratiſſimo jure tenetur

tur, (quod Angli vocant *Grand Sergeantie,*) nimirum, ut poſt ſtor Regibus Angliæ quo die inaugurantur primum miniſtret ſcyphum, & ſit quaſi Regius pocillator. *Camden.*

Arondel (quidam Latine *de Hirundine* ſcribunt,) familia antiqua & celebris, propinquitatis & affinitatis ramis longe diffuſa: equeſtris familia, cujus ſedes Lanheron in Cornuvvallia: ob fortunas, quas habuerunt ampliſſimas, *Arondellii magni*, non ita pridem dicti. *Camden.* Ex eadem familia eſt (niſi fallor) Ioannes Arundel, quem ſcribit Camdenus à Iacobo R. Baronem de VVardour creatum, & ab Imperatore Rudolpho, ob rem præclare adverſus Turcas juxta Strigonium geſtam, Comitem Imperii dictum.

Ashburnham, familia vetuſta admodum in Comitatu Suſſexiæ. *Camden.*

Ashby, familia nobilis in Comitatu Leiceſtriæ. *Burton.*

Aſtley, clara & antiqua familia equeſtris, in Dorſettiæ Comitatu. *Camden.* Eſt & familia ejuſdem nominis, neſcio an originis, (de qua VVilhelmus Burton,) in Leiceſtria; qui *Aſtley à Patteshul*, & *Aſtley à Wolney* ſcribunt: quorum majores Aſtley Caſtrum in

VVarvvicensi provincia possederunt, connubio ad Greyorum familiam translatum.

B.

Bacon, clara familia, & plurimum illustrata à Nicolao Bacono sub Elisabetha R. Cancellario Angliæ; item à Francisco Bacono filio, sub Iacobo R. nuper eadem dignitate functo, & Baronis à Verulamio titulo aucto.

Bainard, clara familia, cujus possessio est Leckham in Comitatu VViltoniæ. *Camd.*

Bampfield, clara & perantiqua familia, cujus sedes Poltimore in Devonia. *Camd.*

Banning. hæc familia inclaruit in Paulo Banning, Vicecomite Banning de Sudbury.

Barkley, nobilissima & antiqua familia; è qua plurimi Barones fuere; & Henrico VII regnante Guilielmus Marchio Barkley, Comes Nottingamiæ & Marescallus Angliæ. *Camd.* Hodie ex illa Baro *Berkleye*.

Barrington, clarissima familia in Essexia, quam regnante Stephano Barones de Montefino possessionibus adauxerunt, & patrum memoria nuptiæ cum altera filia & hærede Henrici Poli Domini

Domini Montis acuti, filii & hæredis Margaretæ Comitiſſæ Sarisburiæ ex ſanguine regio, clariorem reddiderunt. *Camd.*

Baſing, vide *S. Iohn.*

Baskervil, clara & vetuſta familia, virorum & Equitum auratorum olim admodum fœcunda, qui è nepti Gunoræ celeberrimæ illius heroinæ Normannicæ genus repetunt; & olim in Comitatu Herefordenſi & Salopienſi floruerunt. *Camden.*

Beaumont, antiqua & nobilis familia in Comitatu Leiceſtriæ, magniſque dignitatibus olim perfuncta. *Camden. & Burton.* Ex eadem hodieque eſt Vicecomes Beaumont, creatus à Rege Iacobo I, anno 1622.

Beding field, clara & vetuſta familia in Comitatu Suffolciæ, à loco ejuſdem nominis. *Camden.*

Belaſſes ex familia hac eſt hodie Baro Falconbridge de Yarum.

Berners, pervetuſta familia in Hertfordienſi Comitatu. *Camden.*

Bertii, familia nobilis, materna ſtirpe à VVillougbeis deſcendens; unde Barones VVillougbii de Eresby: ex eadem hodie Comes Lindſeiæ.

Bingham, clara & antiqua familia in agro Dorſettenſi, è qua ſub R. Eliſa-

betha bellica gloria enituit Richardus Binghamus. *Camd.*

Blunt, nobilissima familia, è qua Gualterum Blunt ad Baronis Montioy dignitatem Eduardus IV evexit, cujus posteri literarum ornamentis generis claritatem adæquarunt, & inter illos præcipue Carolus Devoniæ Comes à Iacobo I Rege creatus. *Camden.* Ex ea hodie est Baro Montioye. Est & alia familia hujus nominis in Salopiensi Comitatu, nobilis & vetusta, cujus rami longe diffusi.

Bodley, nobilis & equestris familia, quam Thomas Bodleus, qui Bibliothecam Exoniensem locupletavit, egregie illustravit.

Bourchier, vetusta & nobilis familia, è qua Henricus VIII Ioannem Bourchier Dominum Fitzvvarin, Bathoniæ Comitem creavit; cui successit Ioannes filius, qui Ioannem Dominum Fitzvvarin suscepit ante patrem defunctum; è quo natus est Guilielmus Bathoniæ Comes, qui nunc floret. *Camden.*

Bovves, sive *de Arcubus*, præclara & equestris familia, quæ subinde difficillimis temporibus egregiam principi & patriæ operam navavit. *Camden.*

Brigges, nobilis familia; è qua hodie Baro Chandois.

Brooke,

Brooke, familia nobilis ex Comitatu Somersettensi oriunda; è qua Thomas per nuptias cum Ioanna unica filia Ioannis Braybrooke locupletem hæreditatem adiit in Cantio; à quo sextus fuit Henricus Baro Cobham, qui sub Iacobo I Regiæ majestatis fuit damnatus. Est & alia familia hujus nominis in Comitatu Cestriæ.

Broovvn, equestris familia in Comitatu Surreye, è qua cum avorum memoria Antonius Brovvn Luciam quartam Ioannis Nevilli Marchionis Montis acuti filiam cum dotali patrimonio satis amplo duxisset, ejus è filio nepotem Vicecomitis Montis acuti titulo Maria R. exornavit. *Camden.* quo posteri hodieque gaudent.

Bruges, antiqua famil'a, è qua Barones de Chandos extiterunt. *Camden.*

Brudnel. ex hac familia jam est Baro Brudnel de Stouton.

Bruin, sive *le Brum*, familia si qua olim in Essexia celebris: E cujus duabus hæredibus fæmellis sæpius enuptis Carolus Brandon Dux Suffolciæ, Tirelli, Bernerii, alii, descendunt. Masculi autem ex illa familia adhuc in agro Southantonensi supersunt. *Camd.*

Burck. ex hac familia hodie est Vicecomes *Tunbridge*.

Burdet, antiqua & nobilis familia in Comitatu Licestriæ. *Burton.*

Burrough, sive *Burgh*, nobilissima familia, à Perciis & Atholiæ Comitibus stemma repetens, è qua superioribus annis enituit Thomas, Baro Burrough, Hiberniæ prorex. *Camden.*

Byron, sive *Buron*, vetusta familia in Comitatu Nottingamiæ, à Radulpho de Buron primis Normannorum temporibus florentissimo. *Camden.*

C.

C*Althrop*, celebris inprimis familia. *Camden.*

Cavendish, familia illustris. E qua Guilielmum Iacobus Rex honore Baronis de Hardvvic honoravit anno 1605. *Camden.* & postea Comitem Devoniæ creavit. Ex eadem familia est Vicecomes Mansfield. *Burton.* hodieque VVilhelmus Cavendish Comes Novi Castelli.

Careuvv, familia nobilis & vetusta in Devonia: quæ originem repetit à Giraldo filio VValteri, cui Rex Henricus I Moulesford in Bercheriæ Comitatu dederat. plurimum autem splendoris illi accessit ex nuptiis cum clarissimis familiis Mohunorum & Dinhamorum, &c. *Camden.* Possident & latifundia

in

in Surreya. Ex eadem est Georgius Careuvv Baro de Clopton: hodie Comes Totnes.

Carleton, vetusta & nobilis familia, quæ maxime inclaruit per Dudleium Carleton, quem Rex Carolus ex Barone de Imbercourt Vicecomitem Dorcestriæ creavit, & principalem Regni Secretarium fecit.

Carye, clarissima familia in Devonia. è qua prodiit Henricus Carye Baro Hunsdonæ & Reginæ Elisabethæ à cubiculis: aliique viri magni & memorabiles. Ex eadem hodie Robertus Cary Comes Momuthi, & Henricus Cary Comes Dorovorniæ.

Cecil, pernobilis familia in Comitatu Hertfordiensi. E qua summi viri enituerunt. Primo Guilielmus, qui Eduardo VI à secretis, sub Elizabetha totius Regni Thesaurarius fuit: Et Robertus illius secundo genitus, sub ejusdem Elizabethæ regno & Iacobi R. toti orbi notissimus. Frater illius major natu Thomas à Rege Iacobo Exoniæ Comes; ipse Sarisburiæ Comes & Thesaurarius Angliæ renunciatus. sed hic tantum unicum filium Comitatus hæredem: ille numerosam sobolem reliquit.

Champernoun, familia equestri splendore clara in Devonia, quæ plurimum

ſplendoris ex hærede de Valle torta accepit. *Camd.*

Chaumont, antiqua familia in Cornuvvallia, cujus ſedes Lancels pro Stratton. *Camden.*

Chetvvood, familia nobilis in Comitatu Bedford. *Camd.*

de *Chicheſter*, nobilis & clara familia in Devonia. *Camd.*

Chidley, ampla familia in Devonia. *Camd.*

Cholmondley, ſive *Cholmley*, equeſtris familia in Ceſtriæ Comit. *Camd.*

Clifford, antiqua & nobiliſſima familia; è qua Henricus ab Henrico VIII primus Cumbriæ Comes creatus; qui ex Margareta filia Henrici Percii Comitis Northumbriæ genuit Henricum II; cui ex ſecunda uxore filia Baronis Dacre de Gillesland nati duo filii, Georgius & Franciſcus. Georgius tertius, Comes navali gloria clarus, ad labores impiger, ad pericula fortis, obiit ann. CIↃ. IↃCV. Illi autem ſucceſſit Franciſcus frater, Com. quartus, in quo ardor mentis ad virtutem tantis majoribus dignus clariſſime elucet. *Camden.* Eſt & Baro Clifford ex hac familia.

Clinton, vetuſta familia, è qua Eliſabetha Regina Eduardum Baronem Clinton Comitem Lincolniæ creavit; cujus

cujus posteri eodem honore gaudent. *Camden.*

Compton, inclyta familia in Comitatu VVarvvicensi; è qua Henricum Compton Regina Elisabetha ad Baronis dignitatem evexit anno 1572. *Camd.* Ex hac familia VVilhelmus Comton Comes est Northamtoniæ.

Convvay. ex hac Eduardus hodie est Vicecomes *Convvay.*

Corbet, antiquæ in Comitatu Salopię nobilitatis familia. *Camden.*

Cornvvaile. familia hæc genus repetit à Richardo Cornubiæ Comite & Rege Alamannorum: ejusque prosapia ad hæc usque tempora, Baronum de Burford nomine, sed non Parlamentariorum Baronum dignitate, floruit. *Camd.*

Cotton, clara & equestris familia; quam hodie illustrat Robertus Cotton de Connington, Eques doctrina & antiquitatis cognitione illustris.

Cranfield. hanc familiam primus illustravit Leonellus Cranfield Comes Middelsexiæ.

Cravon. ex hac familia hodie est Baro *Cravon* de *Hamsted Marshal.*

Croft, clara & perantiqua equestris familia in Comitatu Hereford. *Camd.*

Cromvvel, antiquitus equestris familia,

milia: nunc à Iacobo R. ad majorem dignitatem evecta: ex ea quippe Thomas Cromvvel Baro *Cromvvel*.

D.

DAcre, nobilis & antiqua familia: è qua BaronesDacre de Gillesland. *Camd.*

Danvers,jamdiu in VVilronia equestris familia; è qua Henricus Danvers titulum & honorem Baronis Danvers de Dantesey, gratia Regis Iacobi est consecutus. *Camden*. hodie Comes *Danby*.

Darcy, insignis familia: è qua Barones Darcy de Chich dicti,ab Eduardo VI ad hanc dignitatem evecti. *Camd.* hodie Barones Darcie & Menthel.

leDenis, equestris familia in Devonia. *Camd.*

Deny, familia nobilis in Essexia, è qua R. Iacobus Eduardum Deny Baronem evocavit. *Camd.* qui hodie est Comes Norvvici.

Digby, clara & antiqua familia in Rutlandiæ Comitatu. è qua Everardus Digby sempiternam maculam generi suo aspersit, consiliis cum horrendis illis perduellibus anno 1605 sociatis. sed amplissima familia est, longe lateque sparsa; è qua hodieque est Comes Bristoliæ,

ftoliæ, Regis ſuperioribus annis ad Hiſpanum legatus.

Dimock. hæc familia in Lincolnia tenet Manerium Scrivelby, per ſervitium magnæ Serientiæ, (ut loquuntur I. C.) videlicet, quod quandocunque Rex aliquis Angliæ coronari debeat, tunc Dominus hujus Manerii, qui pro tempore fuerit, vel aliquis nomine ſuo, ſi idem impotens fuerit, veniet bene armatus pro guerra ſuper uno bono dextrario, in præſentia Domini Regis, die coronationis ſuæ; & proclamari faciet, ſi aliquis dicere voluerit, quod dictus Dominus Rex non habet jus ad regnum ſuum & coronam ſuam, promtus erit & paratus ad defendendum jus Regis, & regni ſui, & dignitatis coronæ ſuæ, per corpus ſuum, verſus ipſum, & alios quoſcunque. *Camd.*

Dormer, equeſtris familia in Comitatu Buckingamiæ. *Camd.* è qua hodie Baro Dormar de *Winge*.

Drake familiæ originem & nomen dedit Franciſcus ille Dracus, Eques auratus, gloria navali noſtra memoria facile princeps.

Dudley, nobiliſſima familia. E qua Ioannes Dudley Comes VVarvvici titulum Ducis Northumbriæ occupavit, cum in tenella ætate Eduardi VI partium

tium Duces honores inter se sortirentur. sed dum Maria & Elisabetha exclusis, regnum filio suo qui Annam Grayam duxerat, asserere conatur; majestatis damnatus capitis pœnam subiit Hujus filius Robertus Licestriæ Come: & Baro Denbigh creatus ab Elisabeth: Regina anno 1564. obiit sine hæredibus anno 1588. *Camd.*

Dutton, insignis familia in Comitatu Cestriæ, qui ab Hudardo quodam Cestrensium Comitum affine genus deducunt: eorumque magna est authoritas veteri instituto in omnes tibicinas, fidicinas & citharœdos illius provinciæ, ex quo R. Dutton adolescens, animo & manu promtus, collecta id genus hominum tumultuaria manu, Ranulphum ultimum Cestriæ Comitem, VVallicis hostibus circumfusum, obsidionis periculo forciter liberasset. *Camden.*

E.

E*Dgcombe*, vetusta & nobilis familia in Cornuvvallia. *Camd.*

Egerton, clarissima equestris familia in Comitatu Cestriæ, genus ducens à Philippo juniore, filio Davidis de Malo passu Baronis Malpas. E qua familia prodiit Thomas Egerton, quem Elisabetha

betha Regina magni sigilli custodem sibi elegit, & Iacobus R. Cancellarium & Baronem de Ellesmer fecit. *Camd.* ex hac familia hodie est Comes de Bridgevvater.

Erdesvvick, nobilis familia; quæ ab Hugone de Vernon, Barone de Shipbroc, variato pro habitationis ratione nomine, primum in *Holgrave*, & postea in Erdesvvick, recta linea mascula descendit. *Camd.*

de Essex, equestris familia, quæ genus refert ad Guilielmum de Essex subthesaurarium Angliæ sub Eduardo IV. *Camd.*

d'Evreux, familia nobilissima; è qua Gualterus d'Evreux, Vicecomes Herrefordiæ, ab Elisabetha Regina Comes Essexiæ dictus, filium habuit Robertum notissimum sed infelicem heroa; cujus filius Robertus hodie Comes est Essexiæ.

Evre, sive *Evers*, viculus in Buckingamia. Quem cum Rex Ioannes Ioanni filio Roberto Domino de Claverinus dedisset; juniores ejus filii à loco nomen sibi assumserunt: Hugo scilicet, unde Barones de Evre; & Robertus, à quo familia de Evre in Axholme est propagata. *Camd.*

F. *Fair-*

F.

FAirfax, (quod pulchram comam sonat,) familia antiqua & clara in Eboracensi provincia. *Camd.*

Fane, nobilissima familia & equestris, quæ per nuptias Mariæ Nevillæ primum Baroniam le Despencer accepit; nunc ex illa est Comes VVestmorlandiæ.

Farneham, nobilis & vetusta familia in Leicestriæ Comitatu. *Burton.*

Faunt, nobilis & clara familia equestris in Comitatu Leicestriæ: ad quam pertinet Manerium Foston, *Burton*.

Feilding. ex hac familia hodie est Comes Denbigh.

Fienes, antiqua & nobilissima familia; è qua superiore ætate fuerunt Barones Dacre; hodieque est Baro de Say & Sele: nam Rex Iacobus Richardo de Fienes sive Fenis & hæredibus de corpore, recognovit & confirmavit nomen, stilum, titulum, gradum, dignitatem & honorem Baronis de Say & Sele. *Camden*.

Fitz-Herbert, equestris familia in Comitatu Derbiæ. *Camden*.

Fitz-Williams, vetusta equestris familia, qui amplissima cognatione nobilissimos Angliæ attingunt, & è quibus

bus procreati sunt Guilielmus Fitz-VVilliams patrum memoria Southantoniæ Comes,& Guilielmus Fitz-VVilliams nuper Hiberniæ prorex. *Camd.*

Fortescue, nobilis & equestris familia in Buckingamia. *Camd.*

Foster, equestris familia in Berkeriæ Comitatu. *Camden.*

G.

GAge, nobilis familia in Sussexia, quæ nuptiis cum altera hærede familiæ de S. Claro adaucta inclaruit. *Camden.*

Gerard, familia nobilissima in Staffordia; è qua Thomas Gerard, Baro Gerard de Gerards Bromley à Iacobo R. creatus.

Glemham, vetusta & celebris familia equestris in Suffolciæ Comitatu, magnis connubiis illustrata.

Godolphin, nobilis & equestris familia in Cornubia, ad quam pertinet hæreditas Godolphin collis, stanni venis feracis. *Idem.*

Godvvin, equestris familia in Buckingamia. *Idem.*

Gorges, familia nobilis in Glocestria, à Russellis oriunda. *Idem.*

Grayham, familia admodum nobilis in Cumbria. *Idem.*

Greiseley, familia nobilis in Derbia;

quæ à Guilielmo filio Nigelli de Grey-
feley dicto genus repetens, ab ipsa Nor-
mannica Angliæ expugnatione ad hæc
usque tempora magna dignitate flo-
ruit. *Camden.*

Grenvil, familia generis antiquitate
& claritate illustris in Cornubia: è qua
nuper Richardus, supra generis clari-
tatem, animi altitudine insignis, for-
tissime contra Hispanos ad Azoras in-
sulas dimicans, vitam profudit. *Idem*

Grevil, nobilis & equestris familia
in VVarvvicensi Comitatu. *Camden.*
qua hodie est Baro Brooke de Bucham-
court.

Grey, nobilissima familia, & late
propagata: è qua Marchio Dorcestriæ
fuit: & Dux Suffolciæ; cujus filia fui
Anna Graya Regina & Comites Can-
tii: itemque Domini de Sandiacre: &
Barones Grey de Codenor; quorum
hæreditas devenit ad Zouchæos: item
que Baro Grey de Groby, à Iacobo R.
in avitum honorem restitutus. Est &
bellicosa familia Baronum Grey de
VVilton, quæ falconem chirothecæ in-
sidentem pro symbolo usurpat. *Idem*

Grosvenour, nunc corrupte *Grave-
nor*, celebris familia in Cestria. *Idem*

H.

HArrington, nobilis & vetusta familia in Rutlandia; è qua Ioannem Harrington Equitem clarissimum titulo Baronis Harington de Exton Iacobus R. exornavit. *Camd.*

Haruye. ex hac familia hodie est Baro Haruye de Kilbrooke.

Hastings, antiquissima & nobilissima familia; è qua Georgius ab Henrico VIII Hundtingdoniæ Comes est creatus; cui successit Franciscus; illi itidem Henricus filius, veræ nobilitatis laudibus vir longe honoratissimus; illique sine prole defuncto Georgius ejus frater; Georgio ejus è filio nepos Henricus. *Camden.*

Hatton, familia antiqua in agro Northamtoniensi; è qua sub Regina Elisabetha inclaruit Christophorus Hattonus Regni tandem Cancellarius.

Hennigam, sive *Heveningam*, nobilis familia in Suffolcia, & equestris, quæ admodum vetustam reperit originem. *Camden.*

Herbert, antiqua & longe amplissima in VVallia familia. E qua Penbrochiæ nobilissimi Comites sub Eduardo IV, & rursus VI, creati, etiamnum per-

ennant. Ex eadem Rex Iacobus Philippum filium natu minorem Henrici Comitis Penbrochiæ ex Maria Sidneya, montis Gomerici Comitem creavit anno CIↃ IↃC V. *Camd.*

Heydon, equestris familia in Nortfolcia. *Idem.*

Hobey, nobilis equestris familia in Berkeria. *Idem.*

Holcroft, nobilis familiæ agnomen in Lancastria. *Idem.*

Hollis. ex hac familia hodie est Comes Claræ.

Horsey, equestris familia in Dorset. Comit. *Idem.*

Hovvard, sive *Havvard*, nobilissima & amplissima familia. E qua anno 1514 Thomas Surreiæ Comes, Norfolciæ Dux est factus. Eum namque titulum pater ejus Ioannes hæreditario jure consecutus erat à Thoma de Brotherton Regis Eduardi I filio, à Segraviis & Moubraiis (qui omnes Norfolciæ Duces fuerunt) genus ducens. Sed quod in pugna Bosvvorthana (in qua cecidit) à partibus Richardi tyranni stetisset, eo honore ipse posterique multati erant. Thomæ, anno 1524 extincto, successit filius Thomas. qui anno 1554 decessit. ex illo genitus Henricus, qui patre vivente capite truncatus fuit extremis

tremis Henrici VIII R. temporibus. Hic filios reliquit Thomam postremum Norfolciæ Ducem, anno 1572 securi percussum; & Henricum, quem Iacobus R. Northamtoniæ Comitem dixit. Thomæ autem tres filii fuerunt; Philippus, Thomas & Guilielmus. Philippus Surreiæ, ac propter matrem Arundelliæ Comes, damnatus, anno 1589 in carcere obiit, filium relinquens Thomam; qui Iacobi R. beneficio in paternos honores successit. Thomas patruus illius ab eodem Rege Suffolciæ Comes & summus Camemarius est factus. Ex eadem familia est Carolus Nottingamiæ Comes, & Angliæ Thalassiarchus; ex patre Guilielmo, Thomæ Norfolciæ Ducis nepos, nimirum magni illius Scotiæ Domitoris. Ex eadem & Thomas Havartus Vicecomes Bindon, à Thoma Norfolciæ Duce per Thomam filium genus ducens. Memoratur & à Camdeno Dominus Guilielmus Hovvard de Navvorth, Illustrissimi Thomæ Ducis Nortfolciæ filius tertiogenitus, venerandæ vetustatis cultor eximius & eruditus; qui in Cumbria jure uxorio latifundia possidet. Ex eadem familia hodie est Comes Berkeriæ.

Hungerford, nobilissima familia in

Berkeria, è qua plurimi Barones enituerunt. *Camden.*

I.

Ermin, clara & equeſtris familia in Suffolcia. *Camd.*

Iernegam, clara & equeſtris familia in Suffolc. *Idem.*

S. Iohn, nobilis familia & illuſtris, quæ olim ſua virtute ampliſſimas in VVallia poſſeſſiones & noſtro tempore Eliſabethæ R. gratia Baronum dignitatem conſecuta eſt: hodie Barones S. Iohn de Bletſo. *Camd.* Ex hac familia Oliverus S. Iohn, hodie Comes eſt Bullingbrouck. Itemque Baro Tregoze.

K.

Killegrevv, clara & vetuſta familia, cujus præcipua ſedes in Cornubia. *Camden.*

Knevet. Knevettorum pervetuſta eſt familia, & jam inde à Ioanne Knevet, Angliæ ſub Eduardo III Cancellario, clariſſima; & magnis nuptiis honorata, longe ramos diffudit; in Norfolcia, in VViltonia, & alibi. *Camden.* Knevet de Eſcrick vocatus ad Parlamentum anno 1607.

Knolles, nobiliſſima & dudum equeſtris familia; è qua Iacobus R. Guilielmum

num Knolles aulę regię thesaurarium, itulo & honore Baronis Knolles de Rotherfeld exornavit. *Camd.* Hodie Wilhelmus Knolles Comes est *Bamury.*

L.

LAcii, nobilis familiæ nomen. è qua quondam Comites Lincolniæ fuere. ex eadem clarissimi viri inter primos Hiberniæ expugnatores enituerunt. *Camd.*

Lascelles, vetusta & præclara familia in provincia Eboracensi. *Camd.*

Leake. ex hac familia hodie est Baro Deincourt.

Lee, nobilissima familia in Buckingamia. è qua Henricus Lee Georgiani ordinis eques longe clarissimus. *Idem.*

Lennard. ex hac familia est Baro Dacres de *Herst*.

Ley. ex hac familia hodie Comes Marlburgi, Thesaurarius Angliæ. Itemque Baro Ley.

Lisle de rubeo monte, familia vetusta & nobilis in Cantabrigiensi Comitatu. è qua Ioannes ob virtutem bellicam inter primos Georgiani ordinis fundatores ab Eduardo III recensetur: cujus prosapia adhuc possidet VVilberham. *Idem.*

Litton, clara familia in Comitatu Hertfordiæ. *Idem.*

Longavil, prisca familia in Buckingamia. *Idem.*

Lovelace.ex hac familia est Baro Lovelace de Hurley.

Lumley, antiquissima familia in Dunelmensi Diœcesi,è qua Barones Lumley jam à tempore Richardi II longa serie floruerunt. *Idem.*

M.

M*Arkham*, vetusta & celebris familia in Nottinghamia. *Idem.*

Mannours, nobilissima familia. E qua hodie Comites Rutlandiæ. Henricus enim VIII Thomam Mannours in Rutlandiæ Comitem extulit, qui amplissimam Baronum Roos hæreditatem in circumvicinis regionibus jure Aeleonoræ aviæ creverat. Huic successit Henricus; & illi itidem Eduardus filius; huic præmature mortuo frater Ioannes; huic filius Rogerus.

Medcalf, numerosissima & equestris familia in Richmondiæ Comitatu. *Idem.*

Mildmay, famil'a equestris. è qua Gualterus Elisabethæ Reginæ ab intimis consiliis, Eques, collegium Emanuelis Cantabrigiæ instituit. *Idem.*

Mohun, equestris familia in Cornubia. *Rich. Carevv.*

Moli-

Molineaux, nobilis & equestris familia in Lancastria. *Camd.*

Montagu, nobilissima familia & antiqua. E qua hodie est Comes Manchesteræ. Itemque Barones Kimbolton & Montague & Boughton.

Mordant, nobilis familia. è qua à tempore Henrici VIII Baro de Mordant in Bedfordiæ Comitatu. *idem.* hodieque Comes Petroburgi.

More, Equestris familia in Surreya. *Idem.*

Morgan, nobilissima familia, & numerosa. E qua plurimi laude bellica inclaruerunt. Est autem insignis hæc familia è Monumuthensi agro oriunda. ubi cognomine de Pencarn celebrantur.

Musgrave. ex hac familia Simon Musgrave anno MDLXX ob fortitudinem bellicam equestri dignitate à Sussexio decoratus.

N.

N*Evil*, familia summæ & vetustæ nobilitatis. E qua Radulphum Nevil Richardus II Rex primum VVestmorlandiæ Comitem creavit. cujus posteri ex priore uxore filia Comitis Staffordiæ eo honore floruerunt, donec Carolus impotenti animo & scelerata con-

conspiratione fidem in Reginam Elisabetham & patriam exuendo clarissimæ familiæ maximum dedecus impressisset, suumque ipsius splendorem nefarie maculasset: unde patria profugus vitam in Belgio misere egit & peregit. Ex altera uxore Catharina filia Ioannis Gandavensis Ducis Lancastriæ, adeo eximia & numerosa fuit propagatio nominis, ut uno eodemque fere tempore ex ea nati effloruerint Comes Sarisburii, Comes VVarvvici, Comes Cantii, Marchio Montis acuti, Baro Latimer, & Baro Abergavenni. postremo hoc titulo Baronis Abergavennæ hodieque Nevilli gaudent beneficio Iacobi Regis. cæteri tituli per hæredes fæmellas fere ad alias familias transierunt. *Idem.*

Nevvton, familia equestris, è VVallia oriunda, quæ nunc in Somersettensi Comitatu sedem habet. *Idem.*

Noel, clarissima familia è Staffordia oriunda: hodieque equestris in Licestria: è qua nuper Baro Noël enituit. *Camden. & Burton.*

Norris, nobilissima familia. E qua Regina Elisabetha Henricum Norrisium, Baronem de Ricot dixit; virum cum generis claritate conspicuum; (à Louellis enim, qui maximas Angliæ familias

milias cognatione attigerunt, genus ducit;) tum bellicosissima prole, quod Belgica, Lusitania, Britannia Armorica & Hibernia contestentur, longe clarissimum. *Camden*.

North, nobilis familia in Comitatu Cantabrigiensi. è qua Eduardum North Maria Regina primum Baronem North creavit. *Idem*.

O.

O*Gle*, nobilissima familia in Northumbria. è qua Barones Ogle ab Eduardo IV ad superiora usque tempora effloruerunt. quibus mascula Baronum progenies defecit. *Idem*. supersunt tamen equestres viri hujus nominis.

Ovven, nobilis familia in VVallia; quæ hodie possidet Keimes Baroniam; in qua præter tres burgos, Nevvport, Fishgard, & S. Dogmaëlis, xx sunt feuda militaria, & parochiæ XXVI. *Idem*.

P.

P*Aget*, nobilissima familia; è qua Barones Paget de Beaudefort, postquam Guilielmus Paget ab Eduardo VI Baronis titulo est decoratus. *Idem*.

Parker, nobilissima familia; quæ paternam originem à Baronibus Morley, mater-

maternam à Calthropis celebri inprimis familia deducunt. Ex illa hodie est Baro Morley & Monteagle. *Idem.*

Parry, nobilissima familia; è qua Thomas Parry fuit Thesaurarius hospitii Reginæ Elisabethæ. *Idem.*

Peilon, equestris familia in Cantabrigiensi Comitatu. *Idem.*

Pelham, nobilis familia in Sussexia. *Idem.*

Percy, nobilissima familia; quæ à Brabantiæ Comitibus originem repetit; è qua varia vicissitudine Northumbriæ Comites enituerunt, & adhuc hodie eodem honore gaudent. Ex eadem & Baro Percy.

Perot, nobilissima familia. è qua fuit Hiberniæ prorex Ioannes Perot; quem post res magnas ibidem gestas, linguæ procacitas evertit. *Idem.*

Perpoynt. ex hac hodie est Vice-comes *Nevvarke.*

Petre, nobilis familia; è qua Ioannem Petre equitem clarissimum Rex Iacobus Baronem Petre de VVritle creavit, filium Henrici Petre, qui Henrico VIII, Eduardo VI, Mariæ, & Elisabethæ R R. à sacris consiliis fuit, & sæpe ad exteros Principes legatus. *Idem.*

Pigot, nobilissima familia in Bedfordia. *Idem.*

Pointz,

Pointz, familia nobilis in Gloceſtria. *Idem.* è qua nonnulli magno ſplendore & equeſtri dignitate ſuperſunt.

Popham, nobiliſſima familia & equeſtris in Somerſettia. *Idem.*

Povvlet, nobiliſſima & antiqua familia. è qua Eduardus VI Guilielmum Povvlet, Dominum S. Iohn de Baſing, Marchionem VVintoniæ & ſummum Angliæ Quæſtorem conſtituit; in cujus familia dignitas Marchionis etiamnum permanet. *Idem.*

Prideaux, familia antiqui nominis & nobilitatis in Cornubia & Devonia. *Idem.*

R.

R*alegh*, nobilis familia in Devonia. *Idem.*

Ratclif, nobiliſſima familia, è Fitz-VValteris originem ducés. Ex hac Henricus VIII Robertum Suſſexiæ Comitem creavit. cui ſucceſſit Henricus; huic filius Thomas, heros longe honoratiſſimus; illi frater Henricus; atq; huic filius Robertus, qui hodie ſupereſt. *Idem.*

Rich, nobiliſſima familia. è qua tempore Eduardi VI Richardus Rich Angliæ Cancellarius enituit: cujus hæredes hodie ſunt Comites VVervvici; & Holland.

Robbarts. ex hac familia hodie e
Baro Robbarts de *Truro*.

Roper. ex hac familia est Baro *Te*
ham.

Rous, vetusta & nobilis familia i
Suffolcia. *Camd*.

Russel, nobilissima familia. è qu
Eduardus VI Ioannem Russel Bedfor
diæ Comitem creavit; cui successit filius
Franciscus, vir summa pietate; huic
Eduardus è filio Francisco nepos. *Idem*.
Hodie Franciscus Russel Bedfordiæ Comes est.

S.

SAcvil, vetusta & nobilissima familia. è qua Iacobus Rex Thomam Sacvil Baronem de Buchorst, Angliæ Thesaurarium, Comitem Dorcestriæ creavit; cujus posteri adhuc eo honore gaudent.

Sadler, nobilis & dudum equestris familia.

Sampol, sive *de S. Paulo*, familia nobilis in Lincolnia. *Camden*.

Sandes, nobilissima familia; è qua Henricus VIII Guilielmum Sandes Baronem Sandes dixit. *Idem*.

Sauage, inclyta familia in Cestriæ Comitatu. *Idem*. è qua hodie Thomas Sauage, Vicecomes Sauage.

Sauil, equestris & numerosissima familia in Eboracensi provincia. *Idem.*

Scrope, sive *le Scrope*, nobilissima familia; è qua Barones enituerunt, in plures ramos divisa; Scroporum de Bolton & Scroporum de Masham, &c. *Idem.* Ex ea hodie est Emanuel Scrope, Comes Sunderlandiæ.

Seimour, sive *de S. Maro*, nobilissima familia in VViltonia: è qua Eduardus VI maternum genus duxit. Ex ea Hertfordiæ Comes superest. *Idem.*

Sheffield, nobilis familia. è qua hodie Edmundus Sheffield Comes est *Moulgrave*.

Shirley, celebris familia in Comitatu Derbiæ; è qua superioribus annis viri aliquot clari emicuerunt. *Idem.*

Sidney, nobilissima & antiquissima familia; è qua plurimi rebus præclare gestis, bello, paceque, claruerunt. Ex ea hodie est Comes Licestriæ, qui ante Baro Lisle fuit beneficio Regis Iacobi.

Somerset, nobilissima familia, è qua Comes VVigorniæ.

Spenser, clara & equestris familia, quæ plurimis clarissimis familiis conjuncta est. ex hac Rex Iacobus I Robertum, virtutis & bonarum literarum cultorem eximium, titulo & honore

Baronis Spenser de VVormeleigton decoravit. *Camden.*

Stafford, vetusta & nobilissima familia; quæ olim magnis dignitatibus floruit; hodieque suum habet Baronem de Stafford. *Idem.*

Stanley, nobilissima familia. E qua Henricus VII Thomam, qui matrem regis Margaretam duxerat, Comitem Derbiæ creavit; quæ dignitas hodieque in familia permanet. Idem Comes & Manniæ regulus est. Ejus filius major natu Baro Strange de Knocking.

Stanhop, nobilis familia. E qua hodie Barones Stanhop & Shetford. Itemque Barones Stanhop de Harington.

Stourton, nobilissima familia; è qua Barones de Stourton, in Dorsettia. *Idem.*

Strangvvayes, equestris familia in Dorsettiæ Comitatu.

Sutton, nobilissima familia in Staffordiæ Comitatu. è qua dudum Barones de Dudley. *Idem.*

T.

Talbot, celeberrima antiquissimaque familia; è qua summi heroes orti. ex ea hodieque est Comes Salopiæ.

Throckmorton, familia equestris in Comitatu VVarvvicensi. *Idem.*

Tilney

Tilney, vetus & equeſtris familia in Norfolcia. *Camd.*

Touchet. ex hac familia eſt Baro *Audley*.

Tracy, vetuſta & equeſtris familia in Gloceſtrenſi Comitatu.

Trafford, inſignis familia in Lancaſtriæ Ducatu. *Camd.*

Tufton. ex hac familia eſt hodie Baro Tufton.

V.

Vauaſor, clara & inprimis antiqua familia. *Camd.*

Vaulx, antiqua familia. è qua Henricus VIII Nicolaum Vaulx Baronem Vaulx dixit; qua dignitate poſteri hodieque gaudent. *Idem*.

Vere, familia nobiliſſima; quæ jam multis annis Comitatu Oxonienſi potita eſt; plurimi autem viri ſummi ex illa orti; præſertim Henrico VIII regnante Ioannes, ob ſummas virtutes *Boni* cognomen adeptus; qui proavus fuit Henrici XVIII ex hac ſtirpe Comitis, & avus Franciſci & Horatii Vere fratrum; qui ſingulari rerum bellicarum ſcientia & rebus fortiſſime & feliciſſime in Belgio geſtis antiquæ nobilitati plurimum ſplendoris addiderunt.

runt. *Camd.* Horatius hodie Baro Ver
de Tilbury.

Villars, pervetusta & nobilis famili
in Comitatu Leicestriæ; sed equestri
tantum ad tempora usque Iacobi Re
gis, qui Georgium quartogenitum, fi
lium Georgii Villars de Brokesby Equi
tis, summis honoribus extulit, & tan
dem Ducem Buckingamiæ creavit: cu
jus gratia fratres quoque illius honori
bus cumulati; Ioannes Vicecomitatu
titulo Purbeck; Christoforus Comita
tus Anglefeyæ.

VV.

W*Ake*, antiqua & præclara famili
in Comitatu Northamtoniensi,
Baronibus de VVake orta. *Camden.*

Wallop, familia equestris insignis in
Hantonia. *Idem.*

Walsingham, nobilis & equestris fa
milia.

Wentvvorth, nobilis familia in Suf
folcia; quæ Baronum dignitate orna
ta ab Henrico VIII, nunc Comitem ha
bet Cleavelandiæ.

VVest, nobilis & antiqua familia
quæ per hæredem domini de la VVare
Baronis titulo fuit exornata. *Idem.*

VVeston, equestris familia in Sur
reya. *Idem.*

VVhar-

VVharton, nobilissima familia in VVestmerlandia. E qua Henricus VIII Thomam Baronem VVharton dixit: qua dignitate posteri adhuc gaudent. *Idem*.

VViat, familia equestris in Cantio. *Idem*.

VVillougby, familia & nobilitate & rebus gestis illustris. è qua Eduardus VI VVilhelmum Baronis titulo ornavit. *Idem*. hodie Baro VVillougby de Parrham.

VVingfield, familia in Suffolcia, equestri dignitate & antiqua nobilitate insignis. *Idem*.

VVindsore, inclyta Baronum de VVindesore familia, quæ originem suam refert ad Gualterum filium Otheri, Castellanum de VVindesore tempore VVilhelmi primi. *Idem*.

VVinter, nobilis & equestris familia in Glocestria. *Idem*.

VVotton, nobilissima familia. è qua superioribus annis effloruit Nicolaus VVotton, Henrico VIII, Eduardo VI, Mariæ, & Elisabethæ R. R. à sanctioribus consiliis, & crebro ad exteros principes legatus: & Eduardus VVotton ejus è fratre pronepos; quem Iacobus R. Baronem VVotton de Merlay creavit. *Idem*.

VVriothesley, nobilissima familia. è qua Eduardus VI ThomęVVriothesley Angliæ Cancellario honorem Comitis Suyd-Hantoniæ detulit; penes cujus posteros hodieque manet. *Idem*.

Z.

Z *Ouch*, nobilis Baronum Zouch familia, & perantiqua stirps. *Camd*.

XII.

RELATIO DE REGNO BRITANNICO, Veneti legati, uti videtur, quæ extat apud Honorium.

BRitannia Insula, Serenissime Princeps (ut, quæ in universum ad illam pertinent, etiam ejus rei peritos admoneam) omnium, quas antiqui cognoverint, amplissima, in mari Oceano, quod nemo nescit, collocatur ad partem Occidentalis Europæ in gradu poli primo supra quinquagesimum: ab Oriente littoribus inferioris Germaniæ objecta: ab Occidente Insulæ ac Regno Hiberniæ: à Septentrionibus insulis Orchadibus: ab Austro Provinciæ Normandiæ & Britanniæ, quam Latini Armoricam vocant: variis nominibus vocitata, pri-

mo

mo Albion, mox Britannia, demum Anglia, diversis tamen etymis, & scriptorum sententiis, quas neque tempus, neque locus permittunt, ut describam. Ab austro ad aquilonem ejus longitudo est octingenta millia passuum, latitudo vero ubi maxima, trecenta viginti millia passuum; quumque ipsius forma triquetra sit, & Scotiæ regno comprehenso, mille septingentis millibus passuum in circuitu contineatur, patet ambitus illius paucioribus, quam Cæsar computaverat, pass. ducentis octuaginta: abundat fluviis, ac portubus; aëris est temperatioris; solum non ubique planum, sed leviter assurgens, collibus aspectu perjucundis; cunctis necessariis rebus instructa: & quanquam quædam magis ad commoditatem, ac delicias facientia à peregrinis comportantur, tamen longe plura ad alias nationes transmittit.

Exportantur inde, ut omnes scimus, lana, ac lanificia omnis generis, stanna, plumba, coria, carbones, carnes, & nonnunquam frugum omne genus, præter cerevisiam. Inter ea, quibus importatis utitur, numerantur præsertim aromata, sacchara, fructuum omne genus, quod advehitur ex Gallia & ex Hispania; vinum, oleum & lupulorum

flores, *(quanquam nec his ipsi carent)* quibus ad parandum cerevisiam utuntur; panni aurei & sericei, telæ, & similia, præter colores, & succos pro infectoribus. Ob has, aliasque pretiosiores merces, & propter situs commoditatem ab omnibus Europæ nationibus frequentatur citra Poloniam, & postremis temporibus etiam à Moscovia, & Russia, & ab Indiis Occidentalibus, à Mexico, à Brasilia, & à littoribus Guineæ; proinde super cæteras orbis Insulas opportuna creditur, & deliciis opibusque affluentissima. In duas partes dividitur, quæ duo comprehendunt regna. Montes & flumina Solveus & Tuedus regnum Angliæ à regno Scotiæ discriminant, remanetque Scotis Septentrionalis pars in longitudine quadringentorum octuaginta milliarium, meridionalis vero Anglis ducentorum triginta. Anglorum portio tripartita est, & secundum alios quadripartita: Quatuor autem eæ provinciæ in viginti duas civitates totidemque Episcopatus cum duobus Archiepiscopatibus distribuuntur, quarum nomina & proprietates, ad vitandam memoriæ ostentationem, multoque magis ut brevitati consulam, historicis, ac geographis, à quibus diverse scribuntur,

tur, remittam. Dicam solum, quemadmodum Provinciæ inter se moribus discrepant, ita lingua differre: nam Vallenses aliter, quam Cornovallenses loquuntur, & utrique ab Anglorum idiomate dissentiunt. Ad hæc duo linguarum genera additur, quod in Scotia diversimode loquuntur agrestes homines à cultis: hi siquidem Britannicæ, illi Hibernicæ linguæ similem linguam in usu habent: quæ profecto res mirabilis est, una in Insula quinque linguarum esse diversitatem. Foret quoque historici ac geographi munus, si de locis maritimis, ac mediterraneis referrem: sed tantum id sufficiet, ut nonnihil referam de Vrbe Londino, regni Metropoli, ac regia vere civitate, jure inter primarias Europæ urbes celeberrima, si vel agri fertilitas, omniumque rerum ad usum vitæ humanæ facientium commoditas, vel incolarum frequentia spectetur; nam suburbiis, & oppido Osmestrio (VVestmonasteria) computatis, trecentis quinquaginta hominum millibus eam constare putant. Pulcherrima quidem est, cum ob vias & ædificia, tum propter pontem, qui novemdecim fornicibus ex solido saxo fabrefactis utramque ripam Tamisis jungit, tum etiam ob Cathedra-

lem Ecclesiam S. Paulo dicatam: verum longe pulchrior est ob situm ad ripam Tamisis, à quo fluvio præter jucunditatem maximum accipit emolumentum ex frequenti navigiorum concursu, quæ trecenta & quadringenta dolia ex nostratibus ferre idonea essent: confluunt autem undequaque, adjuvante fluxu maris atque refluxu, etsi civitas procul à mari sexaginta & amplius distet milliaribus: sed præ cæteris dives est, non modo propter commercia & negotiationes; verum etiam ob multa privilegia, quibus incolæ fruuntur, sine exceptione an populares sint, an mercatores, & artifices: à quorum uno, (qui ex viginti quinque Aldermannis nuncupatis eligitur,) ditiore, ac nummatiore, regitur, & quasi in formam Reipublicæ gubernatur. Populares nominavi, quia Nobiles secundum morem Gallorum ac Germanorum omnes procul à civitatibus vitam degunt. *(Nihil minus; nam maxima nobilium pars bonam anni partem Londini agit.)* Vtque de eorum divitiis nonnihil attingam, creduntur in duabus societatibus eorum qui vernacula Aventurieri appellantur (sunt autem ii, qui speciali privilegio soli possunt ex Belgio in Angliam mercimonia invehere, & vicis-

vicissim ex Anglia in Belgium: quibus vero lanificia exportare licet, ii Stapolieri dicuntur) multi esse divites adeo, ut quinquaginta & sexaginta millia illarum librarum sterlinorum possideant singuli, & majori parte in numerata pecunia: hæc autem summa plusquam ducenta millia aureorum nostræ monetæ transcendit: præter innumeros mercatores aliarum societatum, ut sunt mercatores stanni, & aromatum, aliarumque mercium gravium, unde Grossieri dicuntur: quodque vix credibile videbitur, salsamentorum mercatores ad eandem & majorem summam pertingere solent: sic, ut pro re explorata sit habendum, eam urbem cuilibet urbi Europæ recte comparari posse.

Verum hoc argumento, uti cunctis cognito minusque necessario, prætermisso, ad alia veniam majora, & cognitione hujus Excellentissimi Senatus digniora. & antequam referam de natura principum, & eorum, qui regnum gubernant, præmittam in universum aliquid de natura regni, præsertim de ejus opibus, ac viribus: ut noscatur, an ejus sit validitatis, aut imbecillitatis, quam quisquam animo concepit. & ne tempore abutar, dico; etsi olim

illius regni potentia, atque dominium duplo majus, latiusque censebatur, cum spatio trecentorum annorum Normandiam, Britanniam, Guiennam, Guasconiam, præcipuas Franciæ provincias, possederit, & longo tempore sibi tributariam Scotiam fecerit, & per annos sexdecim, & amplius, totum Galliæ regnum penitus sub se habuerit, (cujus Coronam publice Parisiis accepit Henricus Sextus, haud ita pridem, hoc est, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo,) quæ quidem omnia amissa sunt, nihilque reliquum est præter titulos, & quædam vicina loca, insulasque parvi momenti, & alteram partem insulæ ac regni Hiberniæ: tamen regnum illud validum adeo remansit adhuc, ut nullius egeat ad sui tutelam: quinimo non modo difficile & arduum opus est, sed etiam penitus impossibile (nisi regnum dissidia nutriat) vi illud expugnare, quemadmodum seorsim Serenitas Vestra ex relationis nostræ progressu percipiet. Nam prius de viribus maritimis sermonem instituendo, eæ præcipue, cum Regnum insulare sit, considerandæ videntur. etsi hæ quoque valde diminutæ sunt ab eo numero, quo olim fuerunt. quippe ducentæ aliquando naves

naves majores illi Reges adversus hostes suos instruxerunt, præsertim Henricus Quintus adversus Carolum Sextum Regem Franciæ anno cIↃ ccccxviii. Sed ne res longinquas nimium attendamus, loquemur de centenis & amplius navigiis, quæ Reges Henricus Septimus & Octavus armabant, instructa omnia cum suis administris perpetuo stipendio affectis, quo possent ad omnem occasionem ex tempore præsto esse: modo, vix quadraginta supersunt naves; siquidem vel ob negligentiam, & propter egestatem ad sumptus contrahendos aliæ divenditæ sunt, aliæ factæ innavigabiles: & nihilominus eæ paucæ, quæ reliquæ sunt, cum aliis, quæ juris privatorum existunt, & quas numero ingenti Rex congregare potest, non modo ad regni defensionem sufficiunt, sed etiamsi conjungerentur, ad tantum numerum atque extraordinarium ascendunt, ut multa centenaria, utque inquiunt Angli, quingentorum numerũ expleant. Verum etiamsi eas ad mediocrem quemlibet numerum redigamus, tot nihilominus erunt, ut, si eas militibus, tormentis, armis, omnique munitionum genere exornaverimus, certe si non aggrederentur, at saltem obsisterent

rent cuique aggreſſori: quandoquidem nullum regnum æque claſſes ſuas permunire valet, ut hoc Regnum Britanniæ. Et hæc ſpectant ad ejus navigia, opeſque maritimas.

Quod pertinet ad terreſtres copias, ac pedites, innumerabilis profecto eſſet hominum multitudo, ſi ad eos omnes reſpexerimus, qui in periculo publico armati conſiſtere tenentur: nam cum novem & tringinta ſint portiones, in quas regnum diſtribuitur, nuncupatæ Porchshai, (Shires) fama eſt, conſcriptos eſſe ad hanc rem ſeptuaginta mille homines, quamvis vulgus centum mille prædicet: verum his omiſſis, ſi milites voluntarios conſideraverimus, hi quoq; plurimi eſſent, quibuſcum reges illi ſæpe mare trajecere, & inter recentiores Henricus Octavus anno CIↃIↃXXVI trajecit propter Terracinenſem expeditionem, itemque propter Bononienſem anno CIↃIↃXLIV; quo tempore quadraginta aut circiter quinquaginta milliaBritannorum ſecum duxit, multoque plures conduxiſſet, niſi ſumptibus parcere, faciendis extra regnum ſuum, neceſſe habuiſſet: ex hujuſmodi hominum genere, uſu poſtulante, viginti aut viginti quinque millia præſto eſſent, omnes ferreis loricis induti: loquor

quor de iis quos rex inſtruere valet: nam ſi etiam ſubditi Baronibus ac Dominis connumerarentur, longe plures eſſent: illorum enim nemo eſt, etſi tenuiſſimæ conditionis, qui ſuarum opum, facultatumque proportione plurimos armare nequeat, uſque ad millenum numerum, & amplius, cujuſmodi ſunt Comites Darby, Serosberi, VVeſtmerland, & præ cæteris Comes de Pembroch: quorum milites etſi non omnes experientia inſignes, & exercitati eſſent, qui quidem pauci ſunt militaribus meditamentis aſſueti, tamen probis, & expertis militibus mixti (multi ſiquidem externa bella frequentant) equidem egregium ſui ſpecimen præberent, plurimumque ad defenſionem valerent, præſertim propter indolem, atque aptitudinem ipſorum ad exercitamenta militaria, & propter diſciplinam, quam in certamine obſervant: alii quoque, etſi inermes, & parum exercitati, nonnihil valerent, propterea quod nulla eſt, ut nemo ignorat, in toto orbe natio, quæ mortis periculum magis, quam Britanni, contemnat. Et hæc ſpectant ad peditatum. Ipſorum arma conſueta arcus & ſagittæ: quorum armorum tantus eſt numerus propter communem omnium in ſagittando ex-

do exercitationem, nulla gradus, ætatis, professionis exceptione, ut incredibilis existat: quod fit non modo eorum sponte, sed etiam Parlamenti lege, quæ jubet patribusfamilias, ut pueros etiam cum ad novem annos devenerint, e. in arte exerceant, idque ut cætera oti mala removeantur. Verum id meditamenti in quo vires & spes omnes reipublicæ collocatę esse videntur, ita promovent, tantaque est ejus existimatio ut cunctis armis, etiam sclopetis, arcum præponant, magisque se hoc tutos putent, quam illis, equidem contra peritissimorum militum ducumque cæterarum nationum opinionem: tanta vi explodunt exonerantve sagittas, tantaque simul dexteritate, ut thoraces trãsfigere quidam posse dicantur, & nemo ipsorum est, qui vel recta, vel sursum sagittans, longius, quam palmo uno aberret à scopo. Et in hoc præcipue consistunt eorum arma offensiva.

In defensivis armis vix ullam adhibent diligentiam, vel ob incuriam, vel quia ea nihili faciunt: malunt siquidem leves & expediti posse prævenire hostem, currere, retrogradi & saltare, quam armis circumdati, etsi tutiores, impediri: nam communiter alio armorum genere non utuntur, quam ad capitis

capitis defensam quibusdam levibus galeis, quæ vix medium obtegunt caput; loricæ autem loco utuntur annulato ferreo indusio, sed frequentior est usus thoracum quorundam ex tela crassa multoties duplicata, qui adversus sagittas usitatus, & tutus est, & brachiis laminas quasdam ferreas apponunt.

Quod pertinet ad velites, innumerabiles sunt, sed minus apti: nam provincia nulla in tota Europa magis abundat equis: at cum imbecilles sint, eo quia, ut cæteta omnia animalia, ob aëris temperiem, sub dio vivunt, herbaque sola nutriuntur, nihili fiunt: sed cum audaces sint, & generosi, præsertim, si ex Provincia VVallia ortum ducant, ad explorandos atque infestandos hostes putantur satis valere, & longe plus valerent, si nutrirentur melius.

Quod ad cataphractos, cum insula equos non producat aptos, nisi forte aliquos in provincia VVallia, aut ex equitiis Regiis, Regnum eorum copiam habere nequit. Cum tamen eorum necessitas indies magis cognoscatur, & propterea quia Domini, & Barones, & Prælati tenentur certum eorum numerum alere ad Regni & Regis defensam, omnes, qui per hæc tempora possunt, curant, ut equitia nutriant. Equi igitur, qui

qui illic conſpiciuntur, importati ſun ex Flandria, cum Sereniſſima Regin juſſerit, ut omnes ſuæ ſatisfaciant obli gationi, ne ob defectum equorum bo ni publici cura in deſuetudinem proce deret.

Ex his igitur equis, additis etiam pen ſionariis, & aulicis, omnibuſque quot quot ad militiam equeſtrem obligat ſunt; opinantur plerique, ſi luſtratio ge neralis fieret, poſſe componi exercitun duorum circiter millium equorum ex cellentis bonitatis, qui adverſus quem libet hoſtilem impetum tuto objice rentur.

Et hæ ſunt Anglicæ militiæ vires, a ptæ quidem, modo in Regno adſit con cordia, ad externos hoſtes repellendos quibus viribus addi quoque poſſent au xiliares copiæ ex Hybernia, hominun ſylveſtrium, qui Coronæ parent. Hi ſi quidem unius diei, & aliunde brevior navigatione abſque ullo impediment in inſulam trajiciunt, ut quondam tra jeciſſe dicuntur non ſine regni plurim fructu atque adjumento.

Cum hactenus opes & multitudi nem terreſtrium ac maritimorum mi litum explicaverim, non eſſet incon gruum, ut quo ordine quove ſumpti in bello detinentur enarrarem: u illiu

illius Regni mos, diversus ab eo quem terra marique servat Serenitas vestra, dispiciatur: verum quia hæc res nimium temporis absumeret, & particulatim referenda esset, in aliam occasionem rejiciam, ut regni situm describam, & quo pacto natura munitum habeatur; nam in insula collocatum est Regnũ, & ejusmodi mari circumdatur, quod à cæteris maxime differt, quum neque in Oriente, neque usquam mare fluxum atque refluxum tam ingentem habeat, qui sub incremento, ac decremento, altitudinem ac profunditatem duodecim usque ad quindecim passuum expleat. Quamobrem quum totum Regnum quædam arx esse videatur, Reges illi peculiares arces, quasi supervacaneas, non minus adversus domesticos quam externos neglexerunt: nam adversus domesticos, qui potior viribus est, & in campo victor consistit, is Regni dominus est, semperque erit, hostemque, qui se in arce aliqua condiderit, acriter obsidebit, & fame absque ullo remedio consumet. Adversus externos vero tutum est regnum, quia, cum insulare sit, classibus eo migrandum est: itaque Reges curavere, ut hostes portubus carerent, neque ad eos appellere absque summis difficulta-

tibus ac periculis liceret: idcirco quoties adventurus hostis creditur, circum littora manent excubitores in locis eminentioribus, ut, more in Orientalib⁹ partibus assueto, interdiu fumis, noctu ignibus indicent navium adventum, quo indicio insulares statim accurrant, quemadmodum sub pœna vitæ omnes patresfamilias, cum statuto nautarum armatorum numero, & commeatu, pro quatriduo saltem tenentur accurrere ad ea loca defendenda ubi majus est invasionis periculum. Hoc igitur pacto littora defenduntur ab externi hostis impetu: nunquam enim defensores tam pauci esse possunt, ut, cum recentia subsidia adfutura sint, neque arma & tormenta desint, classem quamcunque arcere nequeant, præsertim cum hostes maris vicissitudines extimescere debeant: neque facile sit reperire Cæsares, aut alios Duces, qui putent, in nudis littoribus naves exponendas ventorum arbitrio, qui creberrime mutantur, & periculosissimas cient tempestates.

Igitur Regnum hoc mari nunquam ex tempore offendi potest; Terra vero nulla pars est, nisi quæ septentrionalis, nempe Scotia: à qua parte præsidiarii milites detinendi sunt, alioquin Scoti excur-

excursiones facere possent, non solum prædæ spe adducti, cum in sylvis habitent, & pauperrimam vitam degant, sed etiam incitati odio, quo natura Anglos prosequuntur, aucto ex continuis bellis, præter querimonias veteres, & de finibus controversias. Hic Regni limes præsidio mille quingentorum militũ, qui in quatuor loca distribuuntur, defenditur: altera militum pars insidet Barvichy; quod oppidum ad Orientem situm est in faucibus fluvii Medi, frequens mercimoniis piscium, præsertim salmonum, usurpatum olim bello, neque unquam redditum Scotis. Aliud propugnaculum à parte Occasus Carledum dicitur: reliqua militia in duobus aliis locis detinetur: quanquam urbs Dunelmensis celeberrima inter Anglos præcipuum adversus Scotos propugnaculum habetur, & quia frequentissima est, militibus stipendia exsolvit.

Ex his igitur arcibus atque præsidiis Regnum tutum est: verum hæc frustranea esse possunt, si commeatus & pecunia desint, sine quibus Regna ab hostium invasionibus, & à subditorum defectionibus, quæ in eo Regno haud raræ sunt, ægre se tueri possunt: ideo de his etiam breviter dicam aliquid.

dupliciter igitur res pecuniaria conſideratur, vel cum jam accumulata eſt, vel cum indies exigitur, & paulatim coacervatur.

Quo ad ordinarios reditus, ut audivi, colliguntur quinque aut ſex modis regno illi peculiaribus, & nemini Regum Principumque cognitis, & uſitatis. Ideo quoſdam declarabo. Inter hos præcipua eſt tutela pupillorum: quæ eſt hujus regni & Scotiæ ſpecialis prærogativa, cum à cæteris Principibus vel Chriſtianis, vel infidelibus nullo in uſu habeatur: equidem gravamen eſt maximum: nam omnes ſive mares ſive fœminę, parenti ſuo ſuperſtites, minores uno & viginti annis ſub tutela Regis vivunt, qui Rex omnia illorum bona, quæ Coronam recognoſcunt, quantumcunque exili tributo, (ſunt autem infinita) ſimulque alia, quæ libera ſunt, occupat, fruiturque iis, ac diſtrahit, largitur, vel ſibi, prout libet, retinere poteſt quoaduſque pupilli unum & vigeſimum attigerint annum. Hi reditus maximi eſſent, niſi Regis conſuetudo eſſet illa bona paſſim aliis concedere: quorum plurima huic obligationi ſubjacent, ut Regi aliquid pendant. Quod niſi me tempus deficeret, oſtenderem incommoda, quæ ex hujuſmodi

modi tutelis emanant, tum quia bona pupillorum negliguntur, tum quia ipſi quoque pupilli male tractantur, quum ut plurimum tutores mercenarii ſint, qui tutelas lucri cauſa emunt, ſuamque tantum utilitatem reſpiciunt, affinitateſque quaſi vi contrahunt, filios ſuos filiaſve, aut nepotes, aut proximos cum pupillis in matrimonium fraude conjungentes; neq; obſtat, quod à parte tutorum nulla ſit ad pupillos proportio vel in divitiis, vel in nobilitate: unde conjunctis nobilibus atque ignobilibus, & ſtirpes degenerant, & graviſſima proficiſcuntur odia, ac divortia frequentiſſima.

Simul cum tutelis etiam matrimonia intelliguntur non modò pupillorum, ſed omnium eorum, qui bona poſſident, aliquo modo obligata Coronæ, etſi majores ſint: hoc autem privilegium regni hujus & Scotiæ ſpeciale eſt: neque quiſquam ejuſmodi bonorum poſſeſſor poteſt matrimonium contrahere atque concludere, niſi prius Regis beneplacitum impetraverit, utpote qui matrimoniorum dominus, hoc eſt, dotis tradendæ eſt: ſed in hac quoque re liberalitatem ſolet exercere. Ex hujuſmodi reditu antea decem aut duodecim millia librarum ſterlinorum

colligebantur, at in præsens propte
occupata ecclesiastica bona laicis bon
aggregata, ex quibus privati reditu
adaucti sunt, intellexi, præter largitio
nes, quas Regina facit, inde paulo m
nus quam librarum 30000 deduci.

Præterea aliud redituum genus es
quod cum pupilli, ex minori ætate e
gressi, hæreditatem adeunt, Coron
solvunt quod unius anni fructus ex
haurit: aliud quoque, quod relussur
(*relieve*) vocant, quod in recognoscen
dis feudis consistit: feudorum auten
tanta est multitudo, ut qui tantum
modo militares vocantur, ii numer
sint ultra sexaginta millia: & recogno
scuntur majori minorive Regis utilita
te, ut feudorum dignitas requirit: h
autem reditus tanquam extraordinari
computantur, si comparentur ordina
riis, qui ex patrimonio Coronæ acci
piuntur, & antiqui reditus nuncupan
tur, qui explent sexaginta millia libra
rum: Cui patrimonio nunc additus es
Ducatus Lancastriæ, ex quo trigint
millia librarum colliguntur; cumqu
onera quædam amota fuerint, summ
hæc plurimum augebitur. Verum an
te omnia regius est proventus dignu
consideratione ex portoriis rerum o
mnium, quæ exportantur, & impor
tantur,

tantur, tam ab Anglis, quam à peregrinis: ſed non ſine aliqua differentia. nam in aliquibus quadruplo magis aggravantur peregrini quam Britanni: in quibuſdam aliis omnis exceditur proportio. Hic vero proventus magnus eſſet, quia plurima exportantur, & importantur, ſi peculiares publicani iuxta cæterorum Principum morem adminiſtrarent: (*id fit hodie:*) ſed cum Principis nomine exigatur, major pars conſumitur in largitionibus & furtis: nam ex ducentis & amplius millibus librarum, qui putantur inde provenire, vix quarta pars Coronæ ſupereſt; cætera miniſtrorum & exactorum ſumptibus abſumuntur.

Hi fuerunt antiquitus, & in præſens habentur Coronæ reditus: præter quos computandum eſt emolumentum, quod ex ferri, plumbi, & ſtanni præcipue fodinis extrahitur, cum vix ulla inſulæ pars hoc naturæ munere careat; potiſſimum vero Provincia Cornovalliæ mineris abundat. Sunt quoque reditus Epiſcopatuum & Abbatiarum vacantium: & quo tempore Abbatiæ ſuo jure fruebantur (erant autem innumeræ) plurimus erat proventus: earumque diſtributio, quemadmodum & Epiſcopatuum, ad Reges pertinet, qui dum

plus minusve differunt eas conferre, ita ipsarum fructus sibi acquirunt. Habent etiam ex regno 20000 librarum. Adscribunt sibi rebellium bona, præter pœnas pecuniarias, quas ex multis exigit tribunalibus, cum scilicet delicta aut Nobilium, aut Ecclesiasticorum, aut publicorum officialium, aut quorumcunque hominum indies puniuntur. Omnes hujusmodi reditus tam ordinarii quam extraordinarii credebantur tempore schismatis quotannis ascendere ad summam librarum centum quinquaginta millium, quæ sunt sexies centena millia aureorum ducatorum. Hi simul cum bonis Ecclesiasticis, quæ Rex Henricus ingenti omnium scandalo occupavit, cum ab Ecclesia sese alienavit, duplo auctiores facti sunt, quamvis data opera summam adhibuerit in ea re negligentiam, nempe permittens, ut unusquisque ex iis occupationibus fieret opulentior. Cum hoc igitur incremento credebatur Coronæ reditum annuum esse trecentarum decem millium librarum, hoc est, per ea tempora millionem unum & 200000 aureorum. Nemo ambigit, cum regnum occasione dispendiorum careat, videlicet in detinendis ad sui tutelam classibus, peditatu,

tatu, equitatu, quia ex seipso securum est, quin possit regiis necessitatibus non modo cuncta suppetere, sed etiam ea satis superque subministrare quæ Regum libido postulat. nam exceptis, quæ diximus, Scotiæ præsidiis, quæ remoto belli periculo pro dimidio stipendio à civibus custodiuntur, itemque excepta trecentorum sagittariorum cohorte, & quinquaginta Nobilium, qui stipendia merent utrique quotannis libras viginti quinque, item exceptis portuum & navium illarum præsidiariarum, quas diminutas esse diximus, reparatione, tormentorum, armorum, omniumque munitionum renovatione, palatiorum, domuumque regiarum instauratione, quarum numerus toto regno magnus est, præter salaria oratorum, judicum, aliorumque publicorum ministrorum, quæ omnes expensæ proculdubio ordinariæ sunt conservandoque regno necessariæ: detractis his sumptibus, qui non nimii sunt, reliqua pecunia tota ingente superfluitate, ac prodigentia consumitur in aula, mensis scilicet, stabulis, armamentariis, capellis, penuariis, aliisque muneribus ad Reginæ servitia destinatis, maximo ac valde superfluo officiariorum numero, quos

Clerchi vocant: siquidem nulla toto orbe gens est, quæ Britannos exsuperet in splendore domestico, famulitii multitudine, officiorum ac graduum distinctione. Adeo, ut, ne id reticeam, unde cætera conjici possunt, sola ciborum atque potionum expensa sexaginta librarum sterlinorum millia absumat singulis annis, hoc est, ducentos quinquaginta mille aureos: res quidem admirabilis, cuicunque contingit aspicere cupediarum, quæ singulis diebus parantur, multitudinem: & nihilominus vix quarta pars sumptuum sit, qui regnantibus Henrico & Odoardo hujus Reginæ præcessoribus fiebant, cum ipsa multos abusus, multasque superfluitates sustulerit, non solum moderando, sed penitus tollendo mensas plerasque.

Ex his igitur colliguntur, & in hæc insumuntur regii reditus: Pro extraordinariis autem occasionibus, ut belli, æris alieni, & similium, supersunt extraordinarii modi providendæ pecuniæ, qui profecto modi plurimi essent, ac Principi perutiles, si modo vellet partem aliquam illorum gravaminum, quæ in aliis regnis usurpantur, factaque sunt ordinaria, introducere: verum in hac parte revera mirabilis

est,

est, & perrara illius regni libertas, quo nullum regnum minus oneratum est. Igitur Regnum illud extraordinarios reditus nullos habet, præter sola subsidia, quæ Parlamentorum interventu in publicis necessitatibus decernuntur: ad quæ subsidia indifferenter contribuunt Britanni, ac peregrini: sed tamen plurimis dilationibus penduntur ad portionem bonorum, quæ quisque possidet, quæ bona minus rigide æstimantur, & exactionum tempore dividuntur, ac plus minusve differuntur, prout urget necessitudo.

Cum satis de viribus, ac munimentis regni dixerim, reliquum foret, ut de politia nonnihil referrem, ut quam sit à cæteris diversum appareat:sed brevitatis causa sufficiet, ut significem, justitiam ibi non, ut in cæteris regnis, & Christianis provinciis, administrari: non enim civilibus & imperialibus legibus gubernatur, sed municipalibus, ut hæc Respublica. quæ cum à Gulielmo Normando Bastardo, qui Conquæstor,quod perinde est ac tyrannus, utpote qui vi totum regnum occupavit, institutæ fuerint: admirandum non est, quod solam Principis utilitatem respiciant, subditorum vero bonum desertum esse videatur, plenæque sint

sint tricarum, ambiguitatum, sibique contrariæ fuerunt. siquidem excogitatæ, ac sancitæ à Normandis, quibus nulla gens magis litigiosa atque in controversiis machinandis & proferendis fallacior reperiri potest. Hæ leges in illis judiciis inviolabiliter ac rigide observantur, & in gymnasiis Londini publice idiomate Normanno prælegantur, quo idiomate paucis ante annis litigia agitabantur, & omnes judiciarii actus, & publicæ scripturæ conscribebantur, quodque novum videbitur, confertur gradus Doctoris in ea facultate, ut in Italia aliisque civitatibus conferri solet gradus in Iure Civili & Canonico. Quod si temporis angustia concederet, possem diversitates quasdam, & vere notabiles abusus, qui in forma judiciorum frequentantur, referre, præsertim in iis judiciis, quæ inquestæ dicuntur, in quibus tam civilibus quam criminalibus magna subsequuntur incommoda. Hoc judicium constat ex duodecim viris, qui à judice congregantur, ut ab iis sententiam suam exquirat, super re, de qua controvertitur: & omnes conveniant, necesse est, alias nequit judex ad sententiam procedere. Sed ne tædium afferam, hoc totum argumentum postpono,

no, addens tantum, in toto regno atque in omnibus consultationibus regiam solam voluntatem attendi, cum Reges absoluti Domini sint, atque Monarchæ. Quamobrem ne soli esse videantur in regimine, aut propter inertiam, & majorem commoditatem, vel ob superbiam ac pompam, instar Turcici imperii, induxere Consilium præcipuorum officialium, ac ministrorum; qui instar Bassarum congregantur; & Principem ubique sequentes, habent ad hunc effectum & mensam, & proprium in aula diversorium, ac famulitia splendida; magnaque dignitate regios labores minuunt, siquidem ad eos confugiunt plerique subditi, ac ministri publici, & Principum quoque Oratores: Adeo ut ii Principis aures & personæ dici possint, cum per totum Regnum potentiam exerceant, & imperium in ministros, quos magna autoritate tractant, illique vicissim obedientiam præstant; denique ut Rex, ita ipsi, quæcunque libet, jubere, ac decernere queunt. In hujusmodi Consilium, quod regium dicitur, ut plurimum admittuntur tria vel quatuor præcipua Regni officia, hoc est, Cancellarius, Thesaurarius, & quem vocant Privizelium, (custos privati sigilli) &c.

& Amiralium, præter præstantiores Aulæ domusque Regiæ officiales, veluti Stuardum, qui simillimus est Magno Magistro in Gallia, & in Aula Cæsarea Major domus major; omnes ut plurimum dominos nobilesque & eximios viros.

Ab his igitur regnum omnino gubernatur. Verum quoniam aliquando materiæ quædam publicæ accidunt, quæ ad bonum, sive etiam detrimentum regni ac subditorum spectant, verbi gratia, legem novam constituere, alias examinare, vel reprobare, pecuniam ad bellum aliquod jam statutum imperare, vel similia ad remp. pertinentia providere, tunc in similibus casibus consueverunt Reges modestiæ gratia antiquam consuetudinem servare, ut scilicet Parlamenta convocent, in quibus Regni status & ordines tres congregantur, hoc est, clerus, nobiles, & populares, ut ab hisce examinato negotio, quo de agitur, à Regibus deinde eorum decreta confirmentur aut reprobentur. Et quanquam antiquitus hæc Parlamenta auctoritate ac libertate potiebantur, ut Reges potius politica & civilia capita fuerint, quam Domini, & Monarchæ; tamen ab Eduardo tertio ad hæc usque tempora

Regum auctoritas adeo munita est, ut hodie Parlamenta regiarum magis cupiditatum larvæ quædam sint, quibus in rerum dubiarum consultationibus laborem & incommoda, in periculosis autem rebus damnum subterfugiunt potius, quam ut per ea potestaté suam moderari velint; nam in iis quicquid consulitur, aut decernitur, nihil validum est, nisi regia accedat confirmatio: Quin etiam non modo quicquam decernere, aut quemcunque actum facere nequeunt, sed ne congregari quidem possunt, nisi nutu regio; solentque Reges ad ea quoslibet admittere, atque ab iisdem removere; nempe ita formidabiles cunctis facti sunt, ut nemo in Parlamentis, aut extra ipsa, audeat sese ne minimo quidem verbo regiæ voluntati opponere, nisi tamen sibi damnum, ac ruinam velit accersere. Adeo ut quemadmodum servi & subditi sunt ii, qui Parlamentis intersunt, ita actiones & consilia inde prodeuntia servilia esse, necesse sit.

XIII.

DE PRÆSVLIBVS ANGLIÆ, ſecundum Franciſcum Godvvinum.

Provincia Cantuarienſis.

1. Cantuarienſis Archiepiſcopus, Primas Angliæ. Hujus reditus annui (prout cenſentur apud rationes fiſcales) ſunt 2816 lib. 17 ſt. 9. d. ſterling. Pontifici Romano pro primitiis reddebat x mill. florenorum, (quorum ſinguli valebant 4 ſt. 6 d. monetæ Anglicanæ) ac deinde pro pallio 5000.

2. Londinenſis Epiſcopus. Secundum rationem cenſus fiſcalis, valet hic Epiſcopatus annuatim 119 lib. 8 ſt. 4 d. & Papæ reddebat pro primitiis tria millia florenorum.

3. Vintonienſis Epiſcopus. Epiſcopatus hic ſecundum æſtimationem Regiſtrorū fiſcalium valet hodie annuatim 2491 lib. 9 ſt. 8 d. Olim autem in primo ingreſſu Papæ reddebat XII millia ducatorum.

4. Elienſis Epiſcopus. Secundum rationem ſcaccarii aut fiſci regii valet hic Epiſcopatus annuatim 2134 lib. 18. ſt. 5

18 ſt. 5 d. in regiſtro vero Pontificio ducat. 7000.

5. Lincolnienſis Epiſcopus. Ejus cenſum non invenio.

6. Coventrenſis & Lichefeldenſis Epiſcopus. In libro cenſuali fiſci regii dicitur hic Epiſcopatus valere 559 lib. 17 ſt. 2 d. In regiſtro vero Pontificio 1733 ducat. quanquam traditum etiam repperi 300, nec amplius ibidem æſtimatum.

7. Sarisburienſis Epiſcopus. Valet hic Epiſcopatus ſecundum regiſtrorum fiſcalium rationem 1385 lib. 5 ſ. Pontifici Rom. conſueverat reddere ad novi Epiſcopi ingreſſum 4500 aureos.

8. Bathonienſis & VVellenſis Epiſcopus. Secundum rationem regiſtrorum fiſcalium, valet annuatim hic Epiſcopatus 533 lib. & 15 d. Pontificique Rom. ad novi cujuſque Epiſcopi ingreſſum pendebat olim (quod miror) floren. duntaxat 430, cum inter opulentiſſimos Angliæ ea ætate cenſeretur. Magnos hodie fructus percipit ex plumbi fodinis, quæ frequentes in agro VVellenſi.

9. Exonienſis Epiſcopus. Hic Epiſcopatus ſecundum æſtimationem recentiorem Eduardi ſexti tempore initam valet lib. 500. Et tamen ad ingreſſum

novi præſulis, Pontifici pendere conſueverat ducatorum ſex millia.

10. Norvvicenſis Epiſcopus. Valet hic Epiſcopatus annuatim ſecundū rationem regiſtrorum fiſcalium 899 lib. 8 ſ. 7 d. cenſu Romano 5000 ducat.

11. VVigornienſis Epiſcopus. Secundum rationem fiſci regii, valet annuatim hic Epiſcopatus 1049 lib. 17 ſ. 3 d. Et Pontifici Rom. pendebat pro primitiis florenor. 2000.

12. Herefordienſis Epiſcopus. Hic Epiſcopatus apud rationes fiſcales cenſetur ad 768 lib. 10 ſ. 10 d. Pontifici vero Rom. pro primitiis olim pendebat floren. 1800.

13. Ciceſtrenſis Epiſcopus. Valet hic Epiſcopatus ſecundum rationes fiſcales 677 lib. 15 d. ac Papæ pro primitiis pendebat floren. 333.

14. Roffenſis Epiſcopus. Valet hic Epiſcopatus annuatim ſecundum rationes fiſcales 354 lib. 16 ſ. 3 d.

15. Oxonienſis Epiſcopus. Epiſcopatus ab Henr. VIII demum inſtitutus. Valet annuatim ſecundum rationes fiſcales 354 lib. 16 ſt.

16. Glouceſtrenſis Epiſcopus. Valet annuatim hic Epiſcopatus ſecundum rationes fiſcales 414 lib. 19 ſ. 11 d.

17. Petroburgenſis Epiſcopus. Novus Epiſco-

Episcopatus sub Henr. VIII primum institutus. Valet annuatim secundum rationes fiscales 414 lib. 19 ſt. 11 d.

18. Bristoliensis Episcopus. Novus Episcopatus & anno demum 1542 institutus. annui illius census secundum registrum fiscale valent 383 lib. 8 ſ. 4 d.

19. Menevensis Episcopus, apud rationes fiscales annuatim valere censetur supra 426 lib. Pontifici vero pendebat pro primitiis flor. 1500.

20. Landavensis Episcopus. Episcopatus hic secundum rationes fiscales valet annuatim 154 lib. 14 ſ. 1 d. Pontifici vero Rom. pendebat pro primitiis floren. 700. quod nostra moneta (inquit author) conficit 157 lib. 10 ſt.

21. Bangorensis Episcopus. Census hujus Episcopatus annuus, secundum rationes fisci Regii, est 132 lib. 16 ſ. 4 d. Papæ vero pro primitiis pendebat floren. tantum 126.

22. Asaphensis Episcopus. Hujus Episcopatus census annuus, secundum fisci Regii rationes, est lib. 131, solid. 16. Papæ pro primitiis reddebat olim florenor. 126.

Provincia Eboracensis.

23. Eboracensis Archiepiscopus. Hic Regi pendere consuevit pro primitiis

1609 lib. 19 ſ. 2 d. & Papæ 10 mill. ducat. præter 5000 pro pallio. Tempore Thomæ VVolſæi reditus annuos fuiſſe volunt 4 mill. librar. ſterling.

24. Dunelmenſis Epiſcopus. Hic Epiſcopatus apud rationes fiſcales valere dicitur annuatim 1821 lib. 17 d. Pontifici vero pendere ſolebat pro primitiis floren. 9000.

25. Carleolenſis Epiſcopus. Epiſcopatus hujus annui reditus ſecundum rationes fiſci regii valent 531 lib. 4 ſ. 11 d. Et Papæ pro primitiis ad novi cujuſque præſulis ingreſſum pendebat floren. 1000.

26. Ceſtrenſis Epiſcopus. Novus hic Epiſcopatus inſtitutus ab Henrico Octavo. Valet annuatim, ſecundum rationes fiſcales, 420 lib.

INDEX RERVM MEMORABILIUM, quæ hoc libello continentur.

A.

B.

D.

E.

Ely

H.

I.

K.

L.

M.

Orien-

Vico-

VV.

Y.

FINIS.

dient, vbi de dijs plurima dicam,
volet, qui nunc mihi carmina dict
ec faciamus. ego vix credere possu
uenquam prauum. sapiētia nunqua
arit: at contrà est inscitia mater
æ, & sceleris: mihi nemo videtur
s: vult nanq; bonū sibi quaq; volunt
licio nisi falso decipiatur.
sapit, id nomen si conuenit illi.
inque sit, aut terras fortuna guberne
ut ipsi humanas moderentur haben
fatum est, metitúrque omnia summ
, cuius sine numine fit nihil vsquam
n ex dictis oritur, nodúsque profect
ualem Alcides vix, aut Macedûm r
hoc multorū animi turbantur & hær
acta iubet fatum, & fieri illa necesse
n nobis, non dijs est ipsa voluntas:
bitrium prorsus, nec præmia virtus
s vitiū (quod dictu est turpe) meret
n locus est nunc dicere: sed speculem
quid sit, deq; his quæ subdita nostro
ri, & possunt humana luce videri.
ur quòd in his quæ subditione locantu

onantur magis at q; magis, sed ac
Semper & augescant fato aduersa
Contrà illi quibus astra fauent, vllo
Nec sperata quidem, sed sponte ob
Commoda percipiunt, quorum rhan
Dum stertunt, multo distentum pis
In aliquos claro de patre ac diuite n
ernimus, atq; frui primo cum lact
delicijs, & nutriri in fastigia rerum
t præsint alijs, indigni sæpe, regantq;
i oculis capti luscos viuantq; licen
st aliqui obscuris miserisq; paren
pœnam & lachrimas magnū cassu
ssiduè tolerant, nullaq; expellere po
dulitate famem, semperq; in sordib
uis neget hæc fatis contingere damn
nt formosi, agiles, robusti corpore m
ulti etiam turpes, ægri, imbellesq; cr
de istud? nunquid meritis aut cri
ut nostro arbitrio fieri dicemus? ab i
mirum hæc veniunt mortalibus om
niq; ius rerum nostrarum & corpor
ū habet: est penes hoc eteni gen⁹ hor
laqueo, hic ferro, hic flāmis, hic fr
me ille cibo moritur ...

rpo magni laudator ...
n Trinacrys spatiantur in oris
ccubuit valido testudinis ictu.
nacreon, te granum perdidit uue
bet mors sana vias, artesq; noce
esse procul credis, magis imminet *est n*
uàm mors, quã mors incertius
men astrorum qui noscere vires,
ecreta poli pertingere possunt:
tes etiam, qui numine pleni
, ventura vident, prædicere mortis
genus atque diem, quia certa futur
, veluti præsentis præteritiq;:
uam) in causa prima, causisq; secun
longo à prima extenduntur ad iman
quæ sunt bona vel mala, nũquid ab
t fato? ingenium ac doctrina viden
are: etenim poterit quis discere, si
genio, ac vires natura ministret,
obstet, vel prauo in corpore languer
ar, sophus ille, alius mysteria diuũm
uæ plagas quærit: sunt & quibus vna
vili cum paupertate bibatur,
t cognata fami dulcissima fama:
lia vnde fluunt? à rerum præside fa

onantur magis atq; magis, sed ad
emper & augescunt fato aduersan
ontrà illi quibus astra fauent, vllo
Nec spirata quidem, sed sponte obl
ommoda percipiunt, quorum rhan
um stertunt, multo distentum pisc
n aliquos claro de patre ac diuite n
ernimus, atq; frui primo cum lacte
elicijs, & nutriri in fastigia rerum
t præsint alijs, indigni sæpe, regantq;
i oculis capti luscos viuantq; licent
st aliqui obscuris miserisq; paren
pœnam & lachrimas magnũ cassun
ssiduè tolerant, nullaq; expellere po
dulitate famem, semperq; in sordib
uis neget hæc fatis contingere damn
nt formosi, agiles, robusti corpore m
ulti etiam turpes, ægri, imbellesq; cre
de istud? nunquid meritis aut crim
t nostro arbitrio fieri dicemus? ab ip
mirum hæc veniunt mortalibus om
niq; ius rerum nostrarum & corpori
ũ habet: est penes hoc eteni gen⁹ hor
laqueo, hic ferro, hic flãmis, hic fri

po magni laudator ...
n Trinacrijs spatiantur in oris
ccubuit valido testudinis ictu.
acreon, te granum perdidit vue
bet mors sæua vias, artesq; noce
sse procul credis, magis imminet est.
uam mors, quã mors incertius
men astrorum qui noscere vires,
creta poli pertingere possunt:
tes etiam, qui numine pleni
, ventura vident, prædicere mortis
genus atque diem, quia certa futur
, veluti præsentis præteritiq;:
uam) in causa prima, causisq; secun
longo à prima extenduntur ad imam
quæ sunt bona vel mala, nũquid ab i
it fato? ingenium ac doctrina viden
nare: etenim poterit quis discere, si
genio, ac vires natura ministret,
i obstet, vel prauo in corpore languer
ir, sophus ille, alius mysteria diuûm
ue plagas quærit: sunt & quibus vne
vili cum paupertate bibatur,
it cognata fami dulcissima fama:
lia vnde fluunt? à rerum præside fa
... diffunduntur

... o enim sit pulch...
...onar vero mores fatum, vel nostra...
...empiis pariat, permagni inquirer...
...onte paruus labor est hac in re tan...
Ve... rij certè remanet quota port...
...o... m est de nobis, libertas prors...
...un... no generi, si fati summa pote...
...n alualos cogat nos, inuitique trah...
...erni lus, & nulla liceat ratione ren...
...elic e operæpretiũ est huc totam in...
...uantum Deus ipse sinit, verum...
...incipio arbitrium quid sit nos dice...
...rbitriũ est, homini data libera & a...
Ab loue, quæ libeant iusta aut iniu...
...on ideo tamen vt peccet virtute re...
...d contrà, vt vitium vitans incum...
...ũ malefacta nocent, laudẽ benefact...
...ærendum vlterius nunquid sit in o...
...rbitrium: nũquid quocunque in ten...
...n certè in pueris nec in illis esse vid...
...os animi vehemens nimium vel co...
...rbus, vel quorum sopor occupat alt...
...doquidem somnus mortis perhibet...
...e si verum subtili indagine quæras
...ies paucos inter tot millia, qui se

bis.
tas
t:
erum,
i?
pta eſt


mentē:
iamus.
tet.
oteſtas
uendi:

neſto:
entur.
s aquè
duret.

angit
llos:
mago.

ona verò mores fa
empus pariat, pe
orē paruus labor e
Ve rij certè res
o est de nobis
mo generi, si s
n alos cogat nos,
ern lus, & nulla lic
elice operæpretiū es
quantum Deus ip
incipiò arbitrium qu
rbitriū est, homini da
ab Ioue, quæ libeant i
on ideo tamen vt pecc
d contrà, vt vitium
ā malefacta nocent, l
ærendum vlterius n
rbitrium: nūquid quo
n certè in pueris nec
os animi vehemens
rbis, vel quorum sop
ēdoquidem somnus
e si verum subtile.
ies paucos inter te

Sic per
Forsit. a
Si Deu
Missa e
Esse D
Pecca
Errori
Sponte
Sempe
At d
Verùn
Dæm
Nil e
Mens
Sed d
Diffic
Soluei
Nam
Liber
Tollit
Nec p
De di
De no
Sunt g
Dico



ona vero mores fa
empriis pariat, pe
ore paruus labor e
Ve rij certè ren
est de nobis
hu no generi, si s
n analos cogat nos,
ernulus, & nulla lic
eltie operæpretiũ e
quantum Deus ip
incipiò arbitrium qu
rbitriũ est, homini da
ib Ioue, quæ libeant
on ideo tamen vt pecc
d contrà, vt vitium
ĩ malefacta nocent, l
ærendum vlterius nu
rbitrium: nũquid quo
n certè in pueris nec
os animi vehemens
rbus, vel quorum sop
ndoquidem somnus
e si verum subtile
ies paucos inter te

S
r
S
i

Dic

